Darem od Král. čes. spol. nauk
v Praze
inv. čís. 5646

ÚSTŘEDNÍ KNIHOVNA
PRÁVNICKÉ FAKULTY
STARÝ FOND
Č. inv.: 03267

Praefatio.

Codicem peruetustum in bibliotheca episcopali Veronensi asseruatum, qui quattuor euangelia Latine ante Hieronymum translata continet, magni momenti in quaestionibus, quae ad textum Noui Testamenti pertinent, criticis esse, omnes huius studii periti cognouerunt. Hic codex primum editus erat in corpore euangelico, quod Euangeliarium quadruplex inscriptum, Jos. Blanchinus Romae 1749 edidit, deinde in Patrologiae cursum completum, quem edidit J. P. Migne Parisiis 1845 (tom. XII), receptus est. Quod Euangeliarium quadruplex opus grande, quippe quod etiam quattuor euangelia e codice Vercellensi, eadem e codice Brixiano, praeterea euangelium Matthaei e codice Corbeiensi contineat, quum rarum sit, iam per multos annos hoc codices denuo pernoscere, et si fieri posset, editiones eorum publico usui commodiores parare concupiui, ad quod etiam praeceptor et amicus meus Professor Carolus Paulus Caspari, uir doctissimus, anno 1892 defunctus, me saepe cohortatus est.

Quod mihi cum proposuissem, codicem Corbeiensem, olim in bibliotheca quadam Parisiensi, nunc in bibliotheca imperiali Petropolitana asseruatum, 1881, et codicem Vercellensem 1894 edidi, utrumque tali ornatu formaque, ut aditus omnibus facilis esset.

Deinde cum in Italia peregrinans Veronae aliquot dies autumnis 1889 et 1895 commorarer, codicem Veronensem in bibliotheca episcopali perlegere, quatenus legi potuit, et cum textu a J. P. Migne 1845 edito, conferre conatus sum.

Codex Veronensis nunc 381 folia 29 *cm* alta, 23 *cm* lata continet. Scriptus est in membrana purpurea litteris uncialibus pulchris rotundisque, scriptione continua, tinctura argentea. Paginae binas columnas habent; columnae octonos denos uersus. Primae columnae sin-

gulorum euangeliorum, dein „pater noster“ (Mt. 6, 9—13; Lc. 11, 2—4), nomina „deus“, „dominus“, „Jesus Christus“, „Spiritus sanctus“ (compendiose constanter scripta: dns, ihs, Xps, sps sc) tinctura aurea distincta sunt. Multis foliis nunc deperditis exstant plures lacunae: Mt. 1, 1—11; 15, 12—22; 23, 18—27; Jo. 7, 44—53; Lc. 19, 26—21, 29; Mr. 13, 9—18; 13, 24—16, 20. Compluribus locis singuli uersus aut omissi sunt aut euanuerunt.

Periti uiri omnes codicem Veronensem in Africa saeculo quarto uel quinto scriptum esse existimant. Codex hic etiam sectiones Ammonii et canones Eusebii habet, quae tamen huic editioni addere, non uisum est.

Multa sunt quae translationem, hoc codice conseruatam, antiquam et antehieronymianam certe probant:

1. *Quattuor euangelia habentur eo ordine disposita, quem Tertullianus secutus est*: Matthaeus, Johannes, Lucas, Marcus.

2. *Scriptio et orthographia antiqua et uulgaris est*: *b* pro *v* et *v* pro *b*: ***Mt.*** 7, 23 *nobi;* 7, 25 *plubia*; 8, 20 *fobeas*; 9, 8 *honorificaberunt;* 11, 30 *suabe;* 19, 30 *nobissimi*; 21, 1 *benissent;* 21, 5 *nobellum;* 23, 39 *benit*; 24, 22 *brebiabuntur*; 24, 38 *dilubium*; 25, 21, 23 *bone serbe;* 25, 34 *benite*; 26, 17 *bis*; 26, 29 *nobum*; 27, 15 *consueberat*; ***Joh.*** 2, 7 *impleberunt*; 2, 10 *serbasti;* 4, 12 *uibit;* 6, 50 *manducaberit*; 9, 16 *obserbat*; 11, 24 *nobissimo die*; 12, 26 *ministraberit*; 13, 8 *labero*; 13, 10 *labet*; 13, 38 *cantauit*; 14, 10 *uerua*; 14, 23 *seruauit*; 15, 20 *seruaberunt*; ***Lc.*** 1, 59 *die octaba*; 7, 5 *aedificabit*; 7, 27 *praeparauit*; 8, 22 *leuaberunt*; 9, 32 *grabati;* 10, 10 *intraberitis*; 12, 38 *iubebit*; 16, 6 *uathos*; 22, 39 *olibeti*; 24, 42 *fabo*; ***Mr.*** 4, 18 *beruum;* 10, 20 *obseruabi*; 12, 37 *liuenter;* 13, 20 *brebiasset, brebiabuntur* pl. — Littera h uel omissa uel addlta: ***Mt.*** 21, 21 *aesitaberitis;* 23, 4 *umeros;* 25, 33 *aedos*; 25, 36 *ospes;* ***Joh.*** 2, 8 *aurite*; 13, 22 *esitantes;* ***Lc.*** 1, 10 *ora;* 2, 24 *ostiam;* 13, 19 *ortum*; ***Mr.*** 11, 23 *aesitauerit;* ***Mt.*** 7, 26 *harenam;* 27, 48 *harundini*; ***Joh.*** 16, 7 *habiero;* ***Lc.*** 9, 56 *habierunt*, pl.

Ablatiuus pro accusatiuo: ***Mt.*** 8, 33 *uenientes in ciuitate*; 21, 31 *fecit patris uoluntate*; ***Joh.*** 2, 13 *ascendit Jesus in Hierosolymis;* 7, 14 *ascendit Jesus in templo*; ***Lc.*** 1, 27 *ad uirgine Maria*; 3, 9 *igne mittetur*; 4, 2 *agebatur in deserto;* 6, 12 *exiit in monte*; 9, 28 *ascendit in monte*; 9, 44 *traditur in manibus;* 10, 8 *quacumque ciuitate intraueritis;* 12, 11 *ducent uos in synagogis*; 15, 22 *date anulum in manu*; 21, 37 *auocabitur in monte;* 23, 42 *ueniens in regno tuo;*

Mr. 1, 12 *expulit illum in deserto*; 6, 45 *ascendere in nauicula*; 9, 30 *tradetur in manibus* pl.

Accusatiuus pro ablatiuo: ***Mt.*** 9, 6 *habet potestatem in terram*; 25, 44 *in carcerem*; ***Joh.*** 3, 14 *exaltauit serpentem in solitudinem*; 7, 9 *remansit ipse in Galilaeam*; 7, 11 *quaerebant eum in diem festum*; 7, 22 *ex Moysen*; 11, 31 *cum eam*; 11, 52 *pro gentem*; 19, 31 *remanerent in crucem*; 21, 8 *a terram*; ***Lc.*** 1, 8 *fungeretur in ordinem*; 1, 74 *de manus*; 2, 41 *ibant . . . in diem solemni*; 13, 6 *plantatam in uineam*; 24, 13 *ab Hierusalem*; ***Mr.*** 8, 38 *uenerit in gloriam*; 9, 32 *quid in uiam tractabatis*; 10, 37 *sedeamus in gloriam tuam*; 10, 52 *sequebatur eum in uiam;* 12, 32 *bene dixisti . . . . in ueritatem* pl.

3. *Lectiones multae et additamenta propria translationum antehieronymianarum*; ***Mt.*** 19, 12 *spadones* (ter, vlg. eunuchi): 20, 28 add. *uos autem quaeritis de pusillo crescere et de minore maiores esse. Intrantes autem et rogati ad cenam nolite recumbere in locis eminentioribus, ne forte clarior superueniat, et accedens qui ad cenam uocauit te, dicat tibi: adhuc deorsum accede et confundaris. Si autem in loco inferiori recubueris, et superuenerit humilior te, dicet tibi qui ad cenam uocauit te: accede adhuc sursum, et erit hoc tibi utilius*; 24, 36 add. *nec filius* (cf. Mr. 13, 32); 25, 1 add. *et sponsae*; 26, 53 XII *milia legiones angelorum*; 27, 9 omiss. nomen Jeremias; ***Joh.*** 2, 3 add. *quoniam finitum erat uinum nuptiarum*; 3, 6 add. *quoniam de carne natum est*; 11, 4 *claritate* (vlg. gloria); ***Lc.*** 2, 1. 2 *profiteretur, professio* (vlg. describeretur, descriptio); 7, 16 add. *in bono*; 11, 1, 4 in „Pater noster“ add. (sicut Mt. 6, 9—13); 12, 19 omiss. requiesce, comede, bibe; 13, 8 *cophinum stercoris*; 24, 51 omiss. et ferebatur in caelum. ***Mr.*** 6, 3 *fabri* filius; 9, 45. 47 *morientur*; 9, 49 *salem.* — Porro: Mt. 21, 33 seq. Mr. 12, 1 seq. *coloni* (vlg. agricolae); *hic mundus* (in nominatiuo et in casubus obliquis passim: *cotidianum* Mt. 6, 11; Lc. 11, 8; *cotidie* Lc. 16. 19 *absconso* passim; *occansione* passim; *thensaurus* passim.

Fortasse tantummodo huius codicis et aliqua ex parte codicis Vercellensis propriae sunt aliquot lectiones et additamenta: ***Mt.*** 1, 17 add. *omnes itaque generationes ab Abraham usque in aduentum Christi generationes sunt* XLII; 6, 30 *ignem* (vlg. clibanum), 26, 28 *aeterni* testamenti; ***Joh.*** 1, 23 omiss. sicut dixit Eseias propheta; 2, 7 omiss. metretas; 5, 2 omiss. est autem Hierosolymis; 7, 5 neque enim fratres eius credebant *tunc* in eum 8, 34 omiss. peccati; ***Lc.*** 1, 3 add. *et spiritu sancto*; 3, 10 add. *ut uiuamus*; 5, 10 ho-

mines *uiuificans*; 19, 13. 16 *talenta* (vlg. mna); 23, 2 soluentem legem nostram *et prophetas*. ***Mr.*** 2, 14 *Jacobum* Alfei (vlg Levi Alfei); 13, 2 add. *et in triduo aliut resuscitetur sine manibus.*

Mendosissime scriptus est codex fortasse propter negligentiam librarii. E quibus mendis nonnula a Blanchino non sublata in hac editione correcta sunt. Notata sunt in fine huius libelli.

Ceterum codex est mediocri cura asseruatus, quam ob rem scriptura tempore edaci erasa, partim nequaquam, partim non nisi multo labore, legi potest. Itaque hic libellus, qui nunc emittitur, multis locis nihil nisi textum editionis principis Blanchini retractatum emendatumque praebebit.

Antea complures translationes librorum sacrorum latinas Hieronymo uetustiores, quo comparatio harum rerum inuestigatoribus esset, edendas curaui. Quae nunc confecta est editio fortasse mihi ultima erit — iam 75 annos natus sum — quare ueniam a lectoribus peto, si nimis multas mendas inuenerint.

Restat, ut gratias quam maximas praefecto bibliothecae Veronensis pro liberalitate et benignitate, quam mihi summam praestiterit, agam. Nec non pares gratias omnibus, qui in hoc opere mihi opera sua adfuerunt, ago.

Christianiae mense Junio 1904.

J. Belsheim.

(Euangelium secundum Matthaeum.)

I. — — — 11 Babylonis. 12. Et post transmigrationem Babylonis Jeconias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Jerobabel. 13. Jerobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. 14. Eliachim autem genuit A. . . au . . Ach . . 15. genuit Elium. Elium autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. 16. Matthas autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph, cui desponsata erat uirgo Maria. Uirgo autem Maria genuit Jesum . . . 17. Ergo generationes ab Abraham usque ad Dauid generationes sunt XIIII. Et a Dauid usque ad transmigrationem Babylonis generationes sunt XIIII. Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes sunt XIIII. Omnes itaque generationes ab Abraham usque in aduentum Jesu Christi generationes sunt XLII. Christi autem generatio sic erat. 18. Cum esset desponsata mater eius Maria Joseph . . . . . in utero habens de Spiritu Sancto. Joseph autem uir eius cum esset homo iustus 19. et nollet eam traducere, uoluit tacite illam dimittere. 20. Haec eo cogitante, ecce angelus domini apparet . . . . . Mariam coniugem tuam; quod enim ex ea nascitur, de Spiritu Sancto est. 21. Pariet autem, et uocabis nomen eius Jesum. Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum . . . . . est a domino per Eseiam prophetam dicentem: 22. Ecce uirgo in utero concipiet, 23. et pariet filium, uocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: nobiscum deus . . . . 24. a somno fecit sicut praecepit ei angelus domini; et accepit coniugem suam 25. et non cognouit eam, donec peperit filium et uocauit nomen eius Jesum.

II. 1. Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem ciuitatem Judeae in diebus Herodis regis . . . . . oriente uenerunt in Hierosolyma dicentes: 2. Ubi est qui natus est rex Judaeorum? Uidimus enim stellam illius in orientem et uenimus adorare eum. 3. Audiens autem rex Herodis, turbatus est et omnes Hierosolyma cum illo. 4. Et

congrega . . . . . sacerdotum et scribas populi, et interrogauit ab eis ubi Christus nasceretur. 5. Ad illi dixerunt ei: in Bethleem ciuitatem Judaea; 5. sic enim dictum est per prophetam: 6. Et tu Bethleem Judaea non et minima inter princi . . . . . exiet princeps. qui regat populum meum Istrahel. 7. Tunc Herodes occulte uocauit ad se magos et diligenter exquisibit ab eis tempus quando apparuit eis stella, 8. et misit illos in Bethleem dicens: Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inueneritis, renuntiate mihi, ut et ego ueniam et adorem eum. 9. Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce, stella, quam uiderant in oriente, antecedebat eos usque dum uenit et stetit supra puerum. 10. Uidentes autem stellam gauisi sunt gaudio magno ualde. 11. Et intrantes in domum inuenerunt puerum cum Maria, matre eius, et procidentes adorauerunt eum; et apertis thensauris suis optulerunt ei munera: aurum tus et murram. 12. Et admoniti . . . . . ad Herodem, per aliam uiam regressi sunt in suam regionem. 13. Qui cum recessissent, ecce angelus domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge et accipe puerum et matrem eius et fuge in Aegyptum et esto ibi usque . . . . est enim ut Herodes quaerat puerum istum perdere. 14. Surgens autem Joseph accepit puerum et matrem eius nocte, et abiit in Aegyptum, 15. et erat ibi usque ad consummationem Herodis, ut impleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum. 16. Tunc Herodes, ut uidit quoniam delusus est a magis, iratus est ualde et misit et occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem et omnibus finibus eius a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis. 17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: 18. Uox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus; Rachel plorans filios suos . . . . . consolari, quia non sunt. 19. Defuncto autem Herode ecce apparuit angelus domini in somnis Joseph in Aegypto dicens: 20. Surge et accipe puerum et matrem eius et uade in terram Istrahel; defuncti sunt enim, qui quaerebant animam . . . . . 21. Et surgens accepit puerum, et matrem eius et uenit in terram Istrahel. 22. Audiens autem quod Arcelaus regnaret in Judaea pro Herode patre suo, timuit illo ire, et admonitus in somnis, secessit in partes Galileae. 23. Et uenit, et habitauit in ciuitatem, quae uocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, quoniam nazoreus uocabitur.

III. 1. In illis diebus uenit Johannes Baptista praedicans in deserto Judeae, et dicens: 2. paenitentiam agite, adpropinquauit enim

regnum caelorum. 3. Hic est enim de quo dictum est per Eseiam prophetam: vox clamantis in deserto: parate uiam domini, rectas facite semitas dei nostri . . . . . 4. Ipse autem Johannes habuit uestitum . . . . . camellorum et zona pellicia circa lumbos eius; esca autem eius erat lucustae et mel siluestrae. 5. Tunc exiebant ad eum ex Hierosolymis omnis Judaea et omnes qui morabantur circa Jordanen, 6. et baptizabantur . . . . . danen confitentes peccata sua. 7. Uidens autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum uenientes ad baptismum suum, dixit eis: progenies uiperarum, quis demonstrauit uobis fugere ab ira futura? 8. facite ergo fructum dignum paenitentiae: 9. et nolite praeferre uos dicentes; patrem habemus Abraham. Dico enim uobis quoniam potens est deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahae. 10. Jam enim securis ad radices arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo uos in aquam in paenitentiam; qui autem post me uenit fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse uos baptisauit in spiritu . . . 12. qui habet uentilabrum in manu sua, et permundauit aream suam et congregauit triticum in horreo suo, paleas autem comburet igni inextinguibili. 13. Tunc uenit Jesus a Galilaea ad Johannen ut baptizaretur ab eo in Jordanen . . . 14. eum Johannes dicens: ego a te debeo baptizari, et tu uenisti ad me? 15. Respondens autem Jesus dixit ei: sine modo, sic enim oportet nos implere omnem iustitiam. 16. Tunc dimisit eum; et baptizato Jesu, confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei caeli, et uidit spiritum dei descendentem de caelo sicut columbam uenientem in ipsum. Et ecce: uox de caelo dicens ad eum: Hic est filius meus dilectus in quo bene complacui.

IV. 1. Tunc Jesus ductus est in desertum ab spiritu ut temptaretur a diabulo. 2. Et cum ieiunasset XL. diebus et XL. noctibus, postea esuriit. 3. Et accessit ad eum temptator et dixit illi: Si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant. 4. Cui respondens dixit Jesus: Scriptum est: Non in pane tantum uiuet homo . . . uerbo dei. 5. Tunc adsumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem et statuit eum supra pinnam templi et dixit ei: Si filius dei es, mitte te deorsum. 6. Scriptum est enim: quod angelis suis mandauit de te, ut in manibus tollant te ne forte . . . lapidem pedem tuum. 7. Ait illi iterum: Scriptum est: Non temptabis dominum deum tuum. 8. Iterum adsumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde, et ostendit ei omnia regna mundi et honorem eorum, 9. et dixit illi: Haec omnia tibi dabo, si procidens

adoraberis me. 10. Tunc dixit ei Jesus: uade retro me satanas! Scriptum est enim: Dominum deum tuum adorabis et illi soli seruies. 11. Tunc reliquid eum diabolus et ecce: Angeli accesserunt et ministrabant ei. 12. Cum audisset autem Jesus, quod Johannes traditus est, secessit in Galilaeam, 13. et relicta ciuitate Nazareth, uenit et habitauit in Capharnaum maritimam in finibus Zabulon et Neptalim, 14. ut impleretur quod per Eseiam prophetam dictum erat: Terra Zabulon et terra Neptali . . . 15. maris trans Jordanen, Galilaea gentium, 16. populus qui sedebat in tenebris, lucem uiderunt magnam, qui sedebant in regione umbrae mortis, lux horta est eis. 17. Exinde coepit Jesus praedicare et dicere: paenitentiam agite, adpropinquauit enim regnum caelorum. 18. Cum transiret autem secundum mare Galilaeae, uidit duos fratres, Simonem qui dicitur Petrus, et Andream, fratrem eius, mittentes retia in mare, erant enim piscatores. 19. Et ait illis: uenite post me et faciam uos fieri piscatores hominum. 20. Ad illi continuo relictis retiis suis, secuti sunt eum. 21. Et praecedens inde uidit alios duos fratres Jacobum Zebedaei, et Johannem fratrem eius in nauiculo cum Zebaedaeo patre ipsorum reficientes retia sua, et uocauit eos. 22. Illi autem relictis retiis suis et patre suo secuti sunt eum. 23. Et circumibat Jesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum et praedicans euangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in . . . 24. opinio eius in totam Syriam, et optulerunt ei omnes male habentes uariis languoribus et tormentis conpraehensos, et qui daemonia habebant et lunaticos et paralyticos, et omnes curauit, 25. et sequebantur eum turbae multae . . . a Decapoli et ab Hierolosymis et a Judaea et trans Jordanen.

V. 1. Uidens autem turbam multam ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. 2. Et aperuit os suum et docebat eos dicens: 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum 4. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. 6. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. 7. Beati misericordes, quia ipsis miserabitur deus. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. 9. Beati pacifici, quoniam filii dei uocabuntur. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustistiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. 11. Beati eritis cum uos maledi . . . quent . . . cent omne malum aduersum uos propter iustitiam. 12. Gaudete et exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelo. Sic enim persecuti sunt et prophetas eos, qui fuerant ante uos patres eorum.

13. Uos estis sal . . . euanuerit, in quo salietur? ad nihilum ualet, nisi ut mittatur foris et conculcetur ab hominibus. 14. Uos estis lux huius mundi. Non potest ciuitas supra montem posita abscondi. 15. Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. 16. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, et magnificent patrem uestrum, qui est in caelis. 17. Nolite putare quia ueni soluere legem aut prophetas; non ueni soluere sed adimplere. 18. Amen dico uobis: donec transeat caelum et terra, iota unum uel unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant. 19. Qui enim soluerit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno caelorum; qui autem fecerit et docuerit sic, hic magnus uocabitur in regno caelorum. 20. Dico autem uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra plus quam scribarum et phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. 21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. 22. Ego autem dico uobis: quod omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo: racha, reus erit concilio; qui autem dixerit: fatuae, reus erit gehennae ignis. 23. Si ergo offeres munus tuum ad altare, et ibi rememoratus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, 24. relinque ibi munus tuum ante altare, et uade prius reconciliare fratri tuo et tunc ueniens offers munus tuum. 25. Esto consentiens aduersario tuo cito cum es cum illo in uia, ne forte tradat te aduersarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. 26. Amen dico tibi: non exies inde donec reddas usque ad nobissimum quadrantem. 27. Audistis quia dictum est: non moechaberis. 28. Ego autem dico uobis: quoniam omnes, qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. 29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam quod corpus tuum totum eat in gehennam. 30. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam et proice abs te; expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. 31. Dictum est autem: quicumque dimiserit uxorem suam, det illi repudium. 32. Ego autem dico uobis: quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari. 33. Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. 34. Ego autem dico uobis: non non iurare omnino, neque per caelum quia thronus dei est; 35. neque per terram quia scabillum est pedum eius, neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis, 36. neque per

caput tuum iuraberis, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. 37. Sit autem sermo uester: est, est, non, non; quod autem abundantius est, a malo est. 38 Audistis quia dictum est: oculum pro oculo, dentem pro dentem. 39. Ego autem dico uobis: non resistere malo; sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, praebe illi et sinistram. 40. Et ei qui uult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere desiderat, dimitte ei et pallium. 41. Et quicumque te angariauerit mille passus, uade cum illo adhuc alia duo. 42. Omni petenti te, da ei, et uolenti mutuari a te, ne auertaris te. 43. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odies inimicum tuum. 44. Ego autem dico uobis: diligite inimicos uestros, bene facite hiis qui odiunt uos, et orate pro calumniantibus et persequentibus uos, 45. ut sitis filii patris uestri qui in caelis est, qui solem suum oriri iubet super malos et bonos et pluit super iustos et iniustos. 46. Si enim diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? 47. Et si salutatis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? 48. Estote ergo uos perfecti, sicut pater uester, qui in caelis est, perfectus est.

VI. 1. Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus et uideamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis aput patrem uestrum, qui in caelis est. 2. Cum ergo facies elemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritae faciunt in synagogis et in uicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico uobis: perceperunt mercedem suam. 3. Te autem facientem elemosynam, nesciat sinistra tua quod facit dextera tua, 4. ut sit elemosyna tua in absconso, et pater tuus, qui uidet in absconso, reddet tibi in palam. 5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae qui amant stare in synagogis et angulis platearum stantes orare, ut uideantur ab hominibus; amen dico uobis: perceperunt mercedem suam. 6. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, et cluso ostio, ora patrem tuum in absconso; et pater tuus qui uidet te in absconso reddet tibi in palam. 7. Orantes autem nolite multum loqui sicut ethnici; putant enim quod in multiloquium suum exaudiuntur. 8. Nolite ergo similare eis. Scit enim pater uester quid uobis opus sit, antequam petatis ab eo. 9. Sic ergo orabitis: *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. 10. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua in caelo et in terra. 11. Panem nostrum cottidianum da nobis hodie. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. 13. Et ne nos inducas in*

temptationem, sed libera nos a malo. 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet uobis et pater uester qui est in caelis. 15. Si autem non remiseritis hominibus peccata, nec pater uester remittet uobis peccata uestra. 16. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico uobis: habent mercedem suam. 17. Uos autem cum ieiunatis, unguite caput uestrum, et faciem uestram lauate, 18. ne pareatis hominibus ieiunantes, sed patri uestro, qui est in absconso, et pater uester, qui uidet in absconso, reddet uobis in palam. 19. Nolite uobis thensaurizare thensauros in terra, ubi erugo et tinea exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur. 20. Thensaurizate autem uobis thensauros in caelo, ubi neque erugo, neque tinea exterminat, et ubi fures non effodiunt et furantur. 21. Ubi enim fuerit thensaurus tuus, ibi erit et cor tuum. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. 23. Si enim oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequa fuerit, totum corpus tuum tenebrosum est. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipse tenebrae quantae sunt? 24. Nemo potest duobus dominis seruire, aut unum odiet et alterum amauit, aut unum patietur et alterum contemnet. Non potestis deo seruire et mamonae. 25. Ideo dico uobis: ne cogitetis in corde uestro quid manducetis, neque corpori quid induatis. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus est quam uestimentum? 26. Respicite uolatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congraegant in horreis, et pater uester caelestis pascit illa Nonne uos magis plures estis illis? 27. Quis autem potest uestrum adicere ad staturam suam cubitum unum? 28. Et de uestimento solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque neunt. 29. Dico autem uobis, quoniam nec Solomon in omni gloria sua ita coopertus est sicut unum ex istis. 30. Si enim faenum agri, quod hodie est et cras in ignem mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos modicae fidei? 31. Nolite ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quid operiemur? 32. Haec enim gentes inquirunt. Scit autem pater uester, quoniam horum omnium indigetis. 33. Quaerite ergo regnum dei et iustitiam eius, et haec omnia praestabuntur uobis. 34. Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipse. Sufficit diei malitia sua.

VII. 1. Nolite iudicare, ut non iudicemini. 2. In quo enim iudicio iudicaberitis, iudicabitur de uobis; et in qua mensura mensi

fueritis, metietur de uobis. 3. Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non uides? 4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine, eiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabis est in oculo tuo? 5. Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, et tunc uidebis festucam de oculo fratris tui. 6. Nolite dare sanctum canibus, neque miseritis margaritas uestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis et conuersi disrumpant uos. 7. Petite, et dabitur uobis; quaerite, et inuenietis, pulsate et aperietur uobis. 8. Omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit inuenit, et pulsanti aperietur. 9. Aut quis ex uobis homo a quo petet filius eius panem, numquid lapidem porrigit ei? 10. Aut si piscem petit, numquid serpentem porrigit ei? 11. Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis uestris, quanto magis pater uester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se. 12. Omnia ergo quaecumque uultis, ut faciant uobis homines bona, ita et uos facite illis. Haec est enim lex et prophetae. 13. Intrate per angustam portam; quam lata et spatiosa est uia, quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. 14. Quam angusta porta et arcta est uia, quae ducit ad uitam, et pauci sunt, qui inueniunt eam. 15. Attendite uobis a falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces; 16. a fructibus eorum cognoscetis eos. Num colligunt de spinis uuas aut de tribolis ficus? 17. Sic omnis arbor bona bonos fructus facit; mala autem arbor malos fructus facit. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. 19. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. 20. Itaque ex fructibus eorum cognoscetis eos. 21. Non omnis qui dicit mihi: domine, domine, intrabit in regnum caelorum, sed his qui facit uoluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. 22. Multi mihi dicent in illa die: domine, domine, non ne in nomine tuo prophetauimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in tuo nomine uirtutes multas fecimus? 23. Et tunc iurabo illis: quia non nobi uos; discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem. 24. Omnis ergo qui audit uerba mea haec et facit ea, similis est uiro sapienti, qui aedificauit domum suam supra petram; 25. descendit plubia, flauerunt uenti, aduenerant flumina, et offenderunt in domum illam, et non cecidit; fundata erat enim super petram. 26. Et omnis qui audit uerba mea haec et non facit ea, similis est uiro stulto, qui aedificabit domum suam supra harenam; 27. descendit pluuia, flauerunt uenti, aduenerunt flumina et offenderunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina eius

magna. 28. Et factum est cum consummasset Jesus uerba haec, admirabantur turbae super doctrinam eius. 29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, non sicut scribae et Pharisaei eorum.

VIII. 1. Et descendente eo de monte secutae sunt eum turbae multae. 2. Et ecce leprosus quidam ueniens, adorabat eum dicens: domine, si uis, potes me mundare. 3. Et extendens manum tetigit eum Jesus dicens: Uolo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. 4. Et ait illi Jesus: Uide, nemini dixeris, sed uade, ostende te sacerdoti, et offers munus quod praecepit Moyses in testimonium illis. 5. Post haec autem cum introisset Chafarnaum, accessit ad eum quidam centurio rogans eum et dicens: 6. domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur. 7. Ait illi Jesus: Ego ueniam et curabo eum. 8. Et respondens centurio, ait illi: domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbo, et sanabitur puer. 9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Uade et uadit; et alio: ueni et uenit; et seruo meo dico: fac hoc, et facit. 10. Audiens autem Jesus miratus est et sequentibus se dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Istrahel. 11. Dico autem uobis, quod multi ab oriente et occidente uenient et recumbent cum Abraham et Isac et Jacob in regno caelorum; 12. filii autem regni huius ibunt in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. 13. Et dixit Jesus centurioni: Uade, sicut credisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora. 14. Et cum uenisset Jesus in domum Petri, uidit socrum eius iacentem et febricitantem. 15. Et tetigit manum eius et remisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis. 16. Uespere autem facto obtulerunt illi multos daemonia habentes, et eiecibat spiritus immundos uerbo et omnes male habentes curauit; 17. ut adimpleretur quod dictum est per Eseiam prophetam dicentem: quia ipse infirmitates nostras accepit et aegrimonia nostra portauit. 18. Uidens autem Jesus turbas multas circum se, iussit discipulos suos ire trans fretum. 19. Et accedens quidam scriba ait illi: magister, sequar te quocumque ieris. 20. Dicit ei Jesus: Uulpes fobeas habent, et uolucres caeli nidos, ubi requiescant; filius autem hominis non habet ubi caput suum declinet. 21. Alius autem discipulus ait illi: domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum. 22. Ad ipse ait illi: sequere me, et remitte mortuos sepelire mortuos suos. 23. Et ascendente eo in nauicula secuti sunt eum discipuli eius. 24. Et ecce motus magnus factus est in mari ita ut nauicula operiretur fluctibus;

ipse uero dormiebat. 25. Et accesserunt discipuli eius et suscitauerunt eum dicentes: domine, libera nos, perimus. 26. Ait illis Jesus: quid timidi estis, modicae fidei? Tunc surgens imperauit uento et mari, et facta est tranquillitas magna. 27. Illi autem homines mirati sunt, dicentes: qualis est hic, quod uenti et mare obaudiunt eum? 28. Et cum uenisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo homines daemonia habentes, de monumentis exeuntes, nimis periculosi, ita ut nemo possit transire per uiam illam. 29. Et clamabant dicentes: quid nobis et tibi Jesu, fili dei? Uenisti ante tempus torquere nos? 30. Erat autem non longe ab eis grex porcorum multorum pascentium. 31. Daemones autem rogabant eum dicentes: si eicis nos, mitte nos in graegem porcorum. 32. Et ait illis Jesus: Ite. Ad illi exeuntes abierunt in porcos et ecce impetu abiit totus grex ille per praeceps in mare et mortui sunt in aquis. 33. Hii autem qui eos pascebant fugierunt, et uenientes in ciuitate, nontiauerunt omnia et de his, qui daemonia habebant. 34. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Jesu, et uiso eo rogabant eum, ut transiret a finibus eorum.

IX. 1. Et ascendens in nauicula transfretauit et uenit in ciuitatem. 2. Et ecce, optulerunt ei paralyticum iacentem in lecto. Et uidens Jesus fidem illorum dixit paralytico: constans esto, fili, remissa sunt tibi peccata tua. 3. Quidam autem ex scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. 4. Et cum uidisset Jesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus uestris? 5. Quid est facilius dicere: dimissa sunt peccata, aut dicere: surge et ambula? 6. Ut sciatis autem, quoniam filius hominis habet potestatem in terram dimittendi peccata — tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum et uade in domum tuam 7. Et surrexit et abiit in domum suam. 8. Hoc uiso turbae timuerunt et honorificaberunt deum, qui tantam dedit hominibus potestatem. 9. Et cum transiret inde Jesus, uidit hominem sedentem in taeloneo, Mattheum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum. 10. Et factum est recumbente eo in domum, ecce multi publicani et peccatores uenerunt et recumbebant cum Jesu et cum discipulis eius. 11. Et uidentes Pharisaei dicebant discipulis eius: quare magister uester cum publicanis et peccatoribus manducat? 12. At Jesus audiens ait: Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. 13. Euntes autem, discite quid sit: Misericordiam uolo, et non sacrificium. Non ueni uocare iustos sed peccatores. 14. Et tunc accesserunt ad eum discipuli Johannes dicentes: quare nos et Pharisaei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? 15. Et ait illis Jesus: Numquid possunt fili sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus? Uenient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus. 16. Nemo autem committit scissuram panni rudis in uestimentum uetus; tollit enim fortitudinem eius a uestimento, et peior fit scissura. 17. Neque mittunt uinum nouum in utres ueteres, alioquin rumpentur utres, et uinum effundetur, et utres peribunt. Sed uinum nouum in utres nouos mittunt, et ambo seruabantur. 18. Haec illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, nomine Jairus, et adorabat eum dicens: filia mea modo defuncta est; sed ueni, impone manum super eam, et uiuet. 19. Et surgens Jesus, sequebatur eum cum discipulis suis. 20. Et ecce mulier quae sanguinis fluxum habebat XII. annis, accessit retro et tetigit uestimentum eius. 21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. 22. Ad ille conuersus uidens eam dixit: constans esto, filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. 23. Et cum uenisset Jesus in domum principis, uidens tibicines et turbam tumultuantem dicebat: 24. Recedite, non est enim puella mortua sed dormit. Et deridebant eum. 25. Et cum eiecta esset turba, uenit et tenuit manum eius. Et surrexit puella. 26. Et exit fama haec in uniuersam terram illam. 27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo caeci, clamantes et dicentes: Miserere nostri, fili Dauid. 28. Et uenit in domum et accesserunt ad eum duo caeci. Et dixit illis Jesus: Creditis quod possum haec facere? Dicunt ei: Utique, domine. 29. Tunc tetigit oculos eorum dicens: secundum fidem uestram contingat uobis. 30. Et aperti sunt oculi illorum; et comminatus est illis Jesus dicens: Uidete ne quis sciat. 31. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. 32. Egressis autem illis, ecce optulerunt ei hominem mutum et surdum et daemonium habentem. 33. Et eiecto daemonio, locutus est mutus, et miratae sunt turbae, dicentes: Numquam taliter apparuit in Istrahel. 34. Pharisaei autem dicebant: In belzebul rege daemoniorum eicit hic daemones. 35. Et circuibat Jesus ciuitates omnes et castella, docens in synagogis eorum et praedicans euangelium regni et curans omnem languorem et omnem infirmitatem, et multi secuti sunt eum. 36. Uidens autem turbas, misertus est illis, quod essent uexati et iacentes sicut oues non habentes pastorem. 37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

X. 1. Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem in plebe. 2. Duodecim autem apostolorum nomina sunt haec: primus Simon qui dicitur Petrus et Andreas frater eius. 3. Jacobus Zebedaei et Johannes frater eius. Philippus et Bartholomaeus et Mathaeus publicanus et Jacobus Alphaei et Judas Zelotes et Thomas 4. et Simon Cananeus et Judas Carioth qui tradidit eum. 5. Hos XII. misit Jesus praecipiens eis et dicens: In uiam gentium ne abieritis et in ciuitatibus Samaritanorum ne intraueritis, 6. sed potius ite ad oues quae perierunt domus Istrahel. 7. Euntes autem praedicate dicentes, quia adpropinquauit regnum caelorum. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemonia eicite, gratis accepistis, gratis date. 9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis uestris, 10. non peram in uiam, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque uirgam in manibus uestris; dignus est enim operarius mercedem suam. 11. In quacumque enim ciuitate intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis. 12. Intrantes autem in domum salutate eam dicentes: pax huic domui. 13. Et si fuerit domus illa digna, pax uestra ueniet super eam; si autem non fuerit digna, pax uestra ad uos reuertetur. 14. Et quicumque non receperint uos, neque audierint sermones uestros, exeuntes foras de domo illa uel ciuitate, excuti'e puluerem de pedibus uestris. 15. Amen dico uobis: Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorreorum in die iudicii quam illi ciuitati. 16. Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae. 17. Et adtendite uobis ab hominibus. Tradent enim uos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt uos; 18. et aput reges et praesides stabitis propter me in testimonium illis et gentibus. 19. Cum autem tradent uos, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. 20. Non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri loquitur in uobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent fili in parentes et morte eos adficient; 22. et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; qui autem perseueraberit usque in finem, hic saluus erit. 23. Cum autem persequentur uos in istam ciuitatem, fugite in aliam. Quod si in aliam persequentur uos, fugite in aliam. Amen dico uobis: non consummabitis ciuitates Istrahel, donec uenit filius hominis. 24. Non est discipulus super magistrum, neque seruus super dominum. 25. Satis est discipulo, ut sit sicut magister eius, et seruo sicut dominus eius. Si patrem familias uelzebul uocaberunt, quanto magis domesticos eius? 26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim opertum, quod non reuelabitur, et occultum, quod non scietur. 27. Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta! 28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam. 29. Nonne duo passeres asse ueniunt? et unus ex illis non cadit super terram sine uoluntate patris uestri, qui est in caelis? 30. Sed et capilli capitis uestri numerati sunt omnes. 31. Nolite ergo timere; multo uos meliores estis passeribus! 32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui est in caelis. 33. Qui autem negaberit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui est in caelis. 34. Nolite arbitrare quia ueni mittere pacem in terram; non ueni pacem mittere, sed gladium. 35. Ueni enim separare filium aduersus patrem suum, et filiam aduersus matrem suam, et nurum aduersus socrum suum, 36. et inimici hominis domestici eius. 37. Qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam suam plus quam me, non est me dignus. 38. Et qui non acceperit crucem suam et secutus fuerit me, non est me dignus. 39. Qui inuenit animam suam, perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 40. Qui recipit uos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit. 41. Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet, et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. 42. Et quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae in nomine meo, amen dico uobis: quia non peribit merces sua.

XI. 1. Et factum est, cum consummasset Jesus uerba haec praecipiens XII. discipulis suis, transiit inde ut doceret et praedicaret in ciuitatibus eorum. 2. Johannes autem cum audisset in carcere opera Christi, mittens discipulos suos et ait illis: Euntes dicite: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 4. Respondens autem Jesus ait illis: euntes renuntiate Johanni quae auditis et uidetis. 5. Caeci uident et claudi ambulant, leprosi mundantur, et surdi audiunt, et mortui resurgunt et pauperes euangelizantur. 6. Et beatus qui in me non fuerit scandalizatus. 7. Abeuntibus autem illis coepit Jesus docere ad turbas de Johanne Baptista: Quid existis in desertum uidere? arundinem a uento moueri? 8. Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce qui mollibus uestiuntur, in do-

mibus regum sunt. 9. Sed quid existis uidere? prophetam? Dico uobis etiam plus quam prophetam. 10. Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam et parauit uiam tuam ante te. 11. Amen dico uobis: non surrexit inter natos mulierum propheta maior Johanne Baptista; qui autem minor est in regno caelorum, maior eius est. 12. A diebus autem Johannis Baptistae usque nunc regnum caelorum cogitur, et cogentes diripiunt illud. 13. Omnes enim propheta et lex usque ad Johannem prophetauerunt; 14. et si uultis scire: ipse est Helias qui uenturus est. 15. Qui habet aures audiendi audiat. 16. Cui autem simile aestimabo generationem istam? similis est pueris sedentibus in foro et clamantibus ad inuicem dicentes: 17. Cantabimus uobis, et non saltastis, lamentauimus uobis, et non planxistis. 18. Uenit enim Johannes neque manducans neque bibens et dicunt: daemonium habet. 19. Uenit filius hominis manducans et bibens, et dicunt: ecce homo uorax et potator, publicanorum et peccatorum amicus. 20. Tunc coepit improperare ciuitatibus in quibus factae sunt plurimae uirtutes eius, quod non egerint paenitentiam. 21. Uae tibi Corozain et Betsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent uirtutes, quae factae sunt in uobis, olim in cilicio et cinere paenitentiam egissent. 22. Uerumtamen dico uobis: Tyro et Sydoni tolerabilius erit in die iudicii quam uobis. 23. Et tu Capharnaum, numquid usque ad caelum exaltaberis? aut usque in infernum discendis. Quia si in Sodomis factae fuissent (hic fuerunt omissa ab antiquario uerba: uirtutes, quae factae sunt) in te forte mansissent usque in hodiernum diem. 24. Amen dico uobis quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam uobis. 25. In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, pater, domine deus caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et reuelasti ea paruolis. 26. Ita pater, quoniam sic fuit beneplacitum ante te. 27. Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Et nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius, et cui uoluerit filius reuelare. 28. Uenite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam uos. 29. Tollite iugum meum super uos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et inuenietis requiem animis uestris. 30. Iugum enim meum suabe est, et honus meum leue est.

XII. In illo tempore abiit Jesus per segetes sabbatis; discipuli autem eius esurientes coeperunt uellere spicas et manducare. Pharisaei autem uidentes illos dixerunt ei: ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. 3. Ad ipse dixit eis: Non legistis

quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse et qui cum illo erant, 4. quomodo introiuit in domum dei et panes propositionis manducabit, quod non licebat eis manducare neque his qui cum illo erant, nisi solis sacerdotibus? 5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum uiolant et sine crimine sunt? 6. Dico autem uobis, quia sabbato maior est hic. 7. Si enim sciretis quid est: Misericordiam uolo, quam sacrificium, numquam condemnassetis innocentes. 8. Dominus est enim sabbati filius hominis. 9. Et inde transiens uenit in synagogam eorum. 10. Et ecce homo erat manum habens aridam, et interrogabant eum dicentes: si licet sabbatis curare? ut accusarent eum. 11. Ipse autem dixit illis: quis ex uobis habet ouem unam et ceciderit in fobeam sabbatis ea, non tenebit eam et leuabit? 12. Quanto magis melior est homo oue? itaque licet sabbatis benefacere? 13. Tunc ait homini: extende manum tuam. Et extendit manum suam et restituta est ei sicut altera. 14. Et exeuntes Pharisaei consilium faciebant aduersus eum, ut eum perderent. 15. Jesus autem sciens secessit inde, et sequebantur eum multi, et curauit eos. 16. Omnes autem quos curauit praecepit eis ne peruulgarent illum, 17. ut adimpleretur quod dictum est per Eseiam prophetam dicentem: 18. Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo bene placuit anima mea; ponam spiritum meum super eum, et iudicium gentibus adnuntiabit. 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis uocem eius, 20. arundinem quassatam non confringet, et linum fumigantem non extinguet, donec eiciat uictoriam ad iudicium, 21. et in nomine eius gentes sperabunt. 22. Tunc oblatus est ei homo daemonium habens, caecus, mutus et surdus, et curauit eum, ita ut loqueretur et uideret et audiret. 23. Et stupebant omnes turbae et dicebant: numquid hic est filius Dauid? 24. Pharisaei autem audientes dixerunt: hic non eicit daemones nisi in belzebul, principem daemoniorum. 25. Jesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis: Omne regnum diuisum contra se desolabitur, et omnis ciuitas uel domus diuisa contra se non stabit. 26. Si enim satanas satanan eicit, aduersus se diuisus est; quomodo ergo stabit regnum eius. 27. Quod si ego in belzebul eicio daemonia, fili uestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices erunt uestri. 28. Si autem in spiritu dei eicio daemonia, utique adpropiauit in nos regnum dei. 29. Aut quomodo potest quis intrare in domum fortis et uasa eius diripere, nisi prius ipsum alligaberit fortem? et tunc domum illius diripiet. 30. Quis non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, dispargit. 31. Ideo dico uobis: Omne peccatum et blasphemia remit-

tetur hominibus; qui autem in Spiritum Sanctum blasphemaberit, non remittetur illi peccatum. 32. Et quicumque dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro. 33. Aut facite arborem bonam et fructum eius bonum, aut facite arborem malum, et fructum eius malum, nam ex fructu arbor cognoscitur. 34. Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. 35. Bonus enim homo de bono thensauro profert bona; et malus homo de malo thensauro profert mala. 36. Amen dico uobis quoniam omne uerbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent eius rationem in die iudicii. 37. Unusquisque enim uerbis suis iustificabitur, et uerbis suis condemnabitur. 38. Tunc adierunt eum quidam de scribis et Farisaeis dicentes: magister, uolumus aliquid a te signum uidere. 39. Jesus autem respondens ait illis: generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae. 40. Sicut enim fuit Jonas in uentre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit et filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. 41. Uiri Nineuitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia paenitentiam egerunt in praedicatione Jonae: et ecce plus hic quam Jonas. 42. Regina austri resurget in iudicio cum generatione ista et condemnabit eam, quia uenit ab ultimis partibus terrae audire sapientiam Solomonis, et ecce plus hic quam Solomon. 43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et deserta quaerens requiem, et non inueniet. 44. Tunc dicit: reuertar in domum unde exiui. Et ueniens si inuenerit uacantem scopis mundatam et ornatam. 45. Tunc uadit et adsumit secum alios septem spiritus nequiores quam se, et intrantes habitant in eo, et fiunt nouissima hominis illius peiora magis quam priora. Sic erit generationi huic pessimae. 46. Haec eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fratres stabant foris quaerentes loqui cum eo. 47. Dixit autem ei quidam: ecce mater tua et fratres tui foris stant quaerentes loqui tecum. 48. Ad ipse respondens dicenti sibi ait: Quae est mihi mater mea et fratres mei? 49. Et extendens manum in discipulos suos dixit: ecce mater mea et fratres mei. 50. Quicumque enim fecerit uoluntatem patris mei qui in caelis est, ipse meus et frater et soror et mater est.

XIII. 1. Eodem die exiit Jesus secus mare et sedebat. 2. Et congregatae sunt ad eum turbae, ita ut in nauiculam ascenderet et

sederet et omnes turbae stabant in littore; 3. et locutus est ad eos multa in parabolis dicens: Ecce exiit seminator seminare semen suum. 4. Et cum seminat, quaedam ceciderunt secus uiam et uenerunt uolucres caeli et comederunt ea. 5. Quaedam autem ceciderunt in petrosa loca, ubi non habebant terram multam, et continuo exhorta sunt, quia non habebant altitudinem terrae. 6. Sole autem orto aestuauerunt, et quia non habebant radicem, aruerunt. 7. Alia autem ceciderunt in spinis, et creuerunt spinae et suffocauerunt ea. 8. Alia uero ceciderunt in terram bonam et dabant fructum: quaedam centensimum, aliud sexagensimum, aliut uero tricensimum. 9. Qui habet aures audiendi audiat. 10. Et accedentes discipuli eius dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris ad eos? 11. Ad ipse respondens ait illis: Quia uobis datum est nosse misteria regni; illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo. 13. Ideo in parabolis loquor illis, ut uidentes non uideant et audientes audiant et non intellegant, ne quando conuertantur. 14. Et tunc in illis sermo prophetae dicentis: Uade et dic populo huic: aure audietis et non intellegetis, et uidentes uidebitis et non uidebitis. 15. Ingrassatum est enim cor populi huius et auribus suis grauiter audierunt et occulos suos grauaberunt, ne quando occulis uideant et auribus audiant et corde intellegant et conuertantur, et sanem eos. Incrassatum est enim cor populi huius, et aures eorum obstrue, et occulos eorum graua, ne quando conuertantur, et sanem illos, dicit dominus: 16. Uestri autem beati occuli, qui uident, et aures, qui audiunt. 17. Amen dico uobis, quod multi prophetae et iusti cupierunt uidere, quae uidistis, et non uiderunt, et audire, quae uos audistis, et non audierunt. 18. Uos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis, qui audit uerbum regni et non intellegit, uenit malus et rapit, quod seminatum est in corde illius; hic est, qui secus uiam seminatus est. 20. Qui autem supra petrosa loca seminatus est, hic est, qui uerbum audit et continuo cum gaudio accipit illud. 21. Sed non habet in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione uel persecutione propter uerbum, continuo scandalizantur. 22. Qui autem in spinis seminatus est, hic est, qui uerbum audit et per sollicitudinem saeculi huius et uoluptates diuitiarum suffocant uerbum et sine fructu efficitur. 23. Qui uero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit uerbum et intellegit, tunc fructum adferet et facit alium quidem centensimum, aliut sexagesimum, aliud uero tricensimum. Qui habet aures audiat. 24. Aliam parabolam proposuit illis dicens: Simile est regnum caelorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. 25. Cum autem dormirent

homines eius, uenit inimicus eius et superseminauit zizania in triticum et abiit. 26. Sed cum creuisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. 27. Accesserunt autem serui patris familias et dixerunt ei: domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Dicunt ei serui: Uis, imus et colligimus ea. 29. Ad ait illis: Nolite, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum. 30. Sed sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania et alligate ea fasciculis ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. 31. Aliam parabolam locutus est illis dicens: Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agrum suum. 32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius fit omnibus holeribus et fit arbor talis ita, ut uolucres caeli ueniant et habitent in ramis eius. 33. Aliam parabolam locutus est eis; Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinam mensuris tribus, donec fermentatum est totum. 34. Haec omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis, 35. ut impleretur, quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, ructuabor absconsa ante constitutionem mundi. 36. Tunc dimissis turbis abiit in domum, et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Enarra nobis parabolam tritici et zizaniorum agri. 37. Ad Jesus respondens ait: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. 38. Ager autem est hic mundus. Bonum uero semen hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt iniqui. 39. Inimicus autem, qui seminauit ea, diabolus est. Messis uero consumatio saeculi est. Messores autem angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummationem saeculi. 41. Mittet filius hominis angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem, 42. et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium. 43. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiat. Aliam similitudinem adiecit dicens: 44. Simile est regnum caelorum thensauro absconso in agro, quem cum inuenerit homo, abscondit eum et prae gaudio illius uadit et uendit uniuersa, quae habet et emit agrum illum. 45. Iterum simile est regnum caelorum homini negotianti querenti bonam margaritam. 46. Inuenta autem praetiosa margarita abiit et uendidit omnia, quaecumque habuit et emit eam 47. Iterum simile est regnum caelorum retiae missae in mari, quae ex omni genere piscium collegit. 48. Cum autem esset impleta, eduxerunt eam ad litus et sedentes

ellegerunt optimos pisces in uasis suis, malos autem miserunt foris. 49. Sic erit in consummatione saeculi: exibunt angeli et separabunt malos de medio iustorum. 50. et mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus et stri . . . dentium. 51. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei: Utique, domine. 52. Et ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patri familias, qui profert de thensauro suo noua et uetera. 53. Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde. 54. Et ueniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur et dicerent: Unde huic sapientia haec et uirtutes? 55. Nonne hic est filius Josephi fabri? Nonne mater eius dicitur Maria et fratres eius Jacobus et Joseph et Simon et Judas? 56. et sorores eius nonne omnes aput nos sunt? 57. Unde ergo huic omnia ista. Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua. 58. Et ideo non fecit ibi uirtutes multas propter incredulitatem illorum.

XIV. 1. In illo tempore audiit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis: 2. Numquid hic est Johannes Baptista, quem ego decollaui; ipse surrexit a mortuis et ideo uirtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Johannen et alligauit eum et misit in carcere propter Herodiadem, uxorem fratris sui Filippi. 4. Dicebat enim illi Johannes: Non licet tibi habere eam; 5. et volens illum occidere timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio triclinio et placuit Herodi. 7. Unde cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcumque postulasset ab eo. 8. Ad illa praemonita a matre sua dixit: Da mihi in disco caput Johannis Baptistae. 9. Et contristatus est rex Herodes, propter iuramentum et propter simul recumbentes iussit dari. 10. Misit autem et decollauit Johannem in carcere. 11. Et adlatum est caput eius in disco et datum est puellae; puella autem detulit matri suae. 12. Et accesserunt discipuli Johannis et tulerunt corpus et sepelierunt illud et uenerunt et renuntiauerunt Jesu. 13. Quo audito Jesus secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbae, secutae sunt eum pedestres de ciuitatibus et uillis. 14. Et ut uidit turbam multam, misertus est illis et curauit languidos eorum. 15. Uespere autem facto accesserunt ad eum discipuli dicentes: Desertus locus est et hora iam praeteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. 16. Jesus autem dixit: Non habent necesse ire, date illis uos manducare. 17. Responderunt ei: Non habemus nisi quinque

panes et duos pisces. 18. Et ait Jesus: Adferte eos ad me. 19. Et cum iussisset turbam discumbere supra fenum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in caelum, benedixit et fregit et dedit discipulis suis, discipuli autem posuerunt turbis. 20. Et manducauerunt omnes et saturati sunt. Et reliquias collegerunt fragmentorum duodecim cofinos plenos. 21. Manducantium autem fuit numerus V milia uirorum exceptis pueris et mulieribus. 22. Et statim Jesus iussit discipulos suos ascendere in nauiculam et praecedere trans fretum, donec ipse dimitteret turbas. 23. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Uespere autem facto solus erat ibi. 24. Nauicula autem iam in medio mari iactabatur a fluctibus, erat enim illis uentus aduersarius. 25. Quarta autem uigilia noctis uenit ad eos Jesus ambulans supra mare. 26. Uidentes autem illum turbati sunt dicentes: Quia fantasma est; et prae timore clamauerunt. 27. Statimque Jesus locutus est illis dicens: Constantes estote, nolite timere, ego sum. 28. Respondens autem ei Petrus dixit: domine, si tu es, iuue me uenire ad te super aquam. 29. Ad ipse ait: Ueni. Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, ut ueniret ad Jesum. 30. Uidens uero uentum ualidum timuit, et cum coepisset mergi, clamauit dicens: domine saluum me fac. 31. Et continuo Jesus extendens manum adpraehendit eum et ait illi: Modicae fidei! quare dubitasti? 32. Et cum ascendisset in nauiculam, cessauit uentus. 33. Qui autem in nauicula erant, uenerunt et adorauerunt eum dicentes: Uere filius dei es tu. 34. Et cum transfretassent, uenerunt in terram Genesar. 35. Et cum cognouissent eum uiri illius, adorabant eum. Et confestim miserunt in uniuersam regionem illam et optulerunt ei omnes male habentes. 36. Et rogabant eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, salui facti sunt.

XV. 1. Tunc accesserunt ad eum scribae et Farisaei ab Hierosolymis dicentes: 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lauant manus suas, cum panem manducant. 3. Ipse autem respondens ait illis: quare et uos transgredimini mandatum dei propter traditionem uestram? Nam deus dixit: 4. Honora patrem tuum et matrem tuam, et: qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. 5. Uos autem dicitis: Quicumque dixerit patri uel matri: corban, quod est munus, quodcumque est ex me tibi proderit. 6. non honorificauit patrem suum et matrem, et irritum facitis uerbum dei propter traditionem uestram. 7. Hypocrite, bene prophetauit de uobis Eseias dicens: Plebs haec labiis me diligit, cor autem illorum

longe est a me. 9. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. 10. Et conuocatis ad se turbis dixit eis: audite uos et intellegite. 11. Non quod intrat in os, inquinat hominem; sed quod procedit de ore, hoc inquinat hominem. 12. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quod Farisaei audito — — — uexatur. 23. Ad Jesus non respondit ei uerbum. Et accedentes discipuli rogabant eum dicentes: dimitte eam, quia sequitur et clamat post nos. 24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues, quae perierunt domus Istrahel. 25. Ad ille uenieus adorabat eum dicens: adiuua me, domine! 26. Ipse autem respondens ait: Non licet accipere panem filiorum et dare canibus. 27. Ad illa dixit: Utique domine, nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum. 28. Tunc respondens Jesus ait: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis, et sanata est filia eius ex illa hora. 29. Et cum transisset inde, uenit iterum secus mare Galilaeae, et ascendens in monte sedebat ibi. 30. Et accesserunt ad eum turbae habentes secum clodos, caecos, debiles, mutos et alios multos, et proiecerunt eos sub pedes eius, et curauit eos omnes, 31. ita ut turbae mirarentur uidentes mutos loquentes, clodos ambulantes, caecos uidentes, et magnificabant deum Istrahel. 32. Jesus autem conuocatis discipulis suis dixit: Misereor huic turbae, quia triduum est iam quod perseuerant mecum et non habent escam, et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia. 33. Dicunt autem ei discipuli: unde ergo modo in deserto panes tantos, ut saturentur turbae istae? 34. Et ait illis Jesus: Quod panes habetis? Ad illi dixerunt: Septem et paucos pisciculos. 35. Et praecepit turbae recumbere supra terram. 36. Et accepit Jesus VII panes et pisces et gratias egit ac fregit et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. 37. Et manducauerunt omnes et saturati sunt. Et quod habundauit de panibus, tulerunt VII sportas plenas. 38. Erant enim, qui manducauerant, quattuor milia hominum extra pueros et mulieres. 39. Et dimissa turba ascendit in nauicula, et uenit in finibus terrae Magedan.

XVI. 1. Et accesserunt ad eum Pharisaei et Sadducaei temptantes et rogauerunt eum, ut signum de caelo ostenderet illis. 2. Ad ille respondens ait illis: Cum sero factum est, dicitis: Serenum rubicundum est enim cum nubibus caelum. 3. Et mane dicitis: Hodie tempestas, rubicundum est enim cum tristitia caelum. 4. Hypocritae, faciem caeli nostis aestimare; signa autem temporum non potestis co-

gnoscere? Generatio mala et adultera quaerit signum, et signum non dabitur ei nisi signum Jonae prophetae. Et relictis illis abiit. 5. Et cum uenisset trans fretum, obliti sunt discipuli eius panes accipere. 6. Jesus autem dixit illis: Attendite uobis a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum. 7. Tunc cogitabant inter se dicentes: Quia panes non accepimus. 8. Quibus cogitantibus dixit Jesus: Quid cogitatis inter uos, modicae fidei, quia panes non habetis? 9. Nondum intellegitis neque meministis de quinque panibus et quinque milibus hominum, et quod cophinos sumpsistis? 10. neque septem panes et quattuor milia hominum et quod sportas sumpsistis? 11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi: Attendite a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum? 12. Tunc intellexerunt, quia non dixit a fermento, sed a doctrina Pharisaeorum attendere sibi. 13. Uenit autem Jesus in partem Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens: Quem me homines dicunt esse filium hominis? 14. Ad illi dixerunt: Johannen Baptistam, alii autem Eliam, alii uero Jeremiam aut unum ex prophetis? 15. Dicit illis Jesus: Uos autem quem me dicitis esse? 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius dei uiui. 17. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non reuelabit tibi, sed pater meus, qui in caelis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praeualebunt ei. 19. Et tibi dabo clauem regni caelorum. Et quaecumque ligaberis super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solueris super terram, erunt soluta et in caelis. 20. Tunc imperauit discipulis suis, ut nemini dicerent quod ipse esset Christus. 21. Exinde coepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Hierosolyma et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum et occidi et post tertium diem resurgere. 22. Et adsumens eum Petrus coepit increpare et dicere: Absit a te propitius esto, domine, non erit istut. 23. Ad ipse conuersus Petro dixit: Uade retro post me satanas; scandalum es mihi, quia non sapis quae dei sunt, sed quae sunt hominum. 24. Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis uult post me uenire, abneget se sibi et tollat crucem suam et sequatur me. 25. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. 26. Quid enim prodeest homini, si hunc mundum lucrifaciat, animae uero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem animae suae? 27. Nam filius hominis uenturus est in maiestate patris sui cum angelis suis sanctis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius. 28. Amen

dico uobis, quoniam sunt aliqui de istis adstantibus, qui non gustabunt mortem, donec uideant filium hominis uenientem in regno suo.

XVII. 1. Et factum est post dies sex adsumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Johannem fratrem eius et ducit illos in montem excelsum seorsum, 2 et transfiguratus est Jesus ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, uestimenta autem eius facta sunt candida sicut nix. 3. Et ecce apparuit illis Moyses et Helias cum eo loquentes. 4. Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse, si uis faciam hic tria tabernacula, tibi unum, Heliae unum et Moysi unum. 5. Adhuc eo loquente ecce nubs lucida inumbrauit eos. Et ecce uox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. 6. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt ualde. 7. Et accessit Jesus et tetigit eos dixitque eis: Surgite et nolite timere. 8. Leuantes autem oculos suos neminem uiderunt, nisi solum Jesum. 9. Et descendentibus illis de monte praecepit eis Jesus dicens: Nemini dixeritis uisum, donec filius hominis a mortuis resurgat. 10. Et interrogauerunt eum discipuli dicentes: Quid ergo scribae dicunt, quod Heliam oportet primum uenire? 11. Ad ipse respondens ait: Helias quidem uenturus est restituere omnia. 12. Dico autem uobis, quod Helias iam uenit, et non cognouerunt eum et fecerunt ei, quanta uoluerunt. 13. Et tunc intellexerunt discipuli, quod de Johanne Baptista dixerit illis: Sic et filius hominis necesse habet pati ab eis. 14. Et cum uenisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum rogans eum et dicens: domine, miserere filio meo, quia lunaticus est et male torquetur; nam saepe cadit in ignem et aliquando in aquam. 15. Et optuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. 16. Respondens Jesus ait. O generatio incredibilis et peruersa, quousque patiar uos? quousque ero uobiscum? Adferte huc illum ad me. 17. Et increpauit eum Jesus, et exiit ab eo daemonium, et curatus est puer ex illa hora. 18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto et dixerunt ei: domine, quare nos non potuimus eicere illum? 19. Dicit illis Jesus: Propter incredulitatem uestram. Amen dico uobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit uobis. 20. Hoc autem genus daemonium non eicitur nisi per orationem et ieiunium. 21. Ipsis autem conuersantibus in Galilaeam dixit Jesus: Futurum est, ut filius hominis tradatur in manibus hominum, et occident eum, et post tertium diem resurget. 22. Et cum

hoc audissent discipuli, contristati sunt uehementer. 23. Et cum uenissent Capharnaum, accesserunt qui didragma exigebant, ad Petrum et dixerunt ei: Magister uester quare non soluit didragma uel censum? 24. Ait: utique non. Et intranti in domum, praeuenit eum Jesus, dicens: quid tibi uidetur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum bel censum? a filiis suis, aut ab alienis? 25. Et ille dixit: ab alienis: Dixit illi: Ergo liberi sunt filii? Respondit certe. 26. Ut autem non scandalizemus eos, uade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore eius inuenies ibi staterem, illum sumens da eis pro me et pro te.

XVIII. 1. In illa die accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: quis utique maior est in regno caelorum? 2. Et Jesus uocabit puerum et statuit eum in medio eorum et dixit: 3. Amen dico uobis: nisi conuersi fueritis et efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regno caelorum. 4. Quicunque ergo humiliaberit se sicut puer iste, hic maior erit in regno caelorum. 5. Et qui acceperit unum puerum talem in nomine meo, me accipit. 6. Qui autem scandalizat unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius et demergatur in profundum maris. 7. Uae autem huic mundo ab scandalis. Necesse est enim uenire scandala; uerum tamen uae homini illi, per quem scandalum uenit. 8. Quod si manus tua scandalizat te uel pes tuus, abscide eum et proice abs te; bonum tibi est in uitam uenire debilem uel clodum, quam duos pedes uel duas manus habentem mitti in ignem aeternum. 9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et proice abs te; bonum tibi est unum oculum habentem in uitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. 10. Uidete ne contemnatis unum ex his pusillis, qui credunt in me; dico enim uobis, quod angeli eorum in caelis semper uident faciem patris mei, qui in caelis est. 11. Uenit filius hominis saluare quod perierat. 12. Quid uobis uidetur? si fuerint alicui homini centum oues et errauerit una ex eis, nonne relinquet XC. et IX, in montibus et uadit quaerere eam quae errauit, 13. et si contigerit ut inueniat eam, amen dico uobis, quod gaudebit in eam magis quam XCIX, quae non errauerunt. 14. Sic non est uoluntas ante patrem uestrum, qui in caelis est, ut pereat unus ex pusillis istis. 15. Quod si peccauerit in te frater tuus, uade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 16. Si autem non audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum testium uel trium stet omne uerbum. 17. Quod si non audierit eos, dic

ecclesiae. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. 18. Amen dico uobis: Quaecumque alligaueritis super terram, erunt alligata et in caelo, et quaecumque solueritis super terram, erunt soluta et in caelo. 19. Iterum: amen dico uobis, quia si duobus ex uobis conuenerit supra terram, de omni re quaecumque petieritis, fiet uobis a patre meo, qui in caelis est. 20. Ubi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi et ego sum in medio eorum. 21. Tunc accedens ad eum Petrus dixit ei: domine, si peccaberit in me frater meus, quotiens remittam ei? usque septies? 22. Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies et septies. 23. Ideo similis est habitus regni caelorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. 24. Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui X debebat milia talenta. 25. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uenumdari et uxorem eius et filios et omnia, quae habebat, et reddi debitum. 26. Procidens autem seruus ille orabat eum dicens: patientiam habe, domine, et omnia reddam. 27. Misertus autem dominus serui illius dimisit eum, et debitum remisit ei. 28. Egressus autem seruus ille inuenit unum ex conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. 29. Et procidens conseruus eius rogabat eum dicens: patientiam habe in me, et reddam tibi. 30. Ille autem noluit, sed habiit et misit eum in carcere, donec redderet debitum. 31. Uidentes autem conserui illius, quae fiebant, contristati sunt et uenerunt et narrauerunt domino suo omnia, quae facta erant. 32. Tunc uocauit eum dominus suus, et ait illi: Serue nequam, omne debitum remisi tibi, quoniam rogasti me, 33. non ergo oportuit te quoque misereri conseruo tuo, sicut et ego tui misertus sum? 34. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quo ad usque redderet uniuersum debitum. 35. Sic et uobis faciet pater meus, qui in caelis est, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris.

XIX. 1. Et factum est, cum locutus esset sermones istos Jesus, transtulit se a Galilaea et uenit in fines Judaeae trans Jordanen, 2. et secutae sunt eum turbae multae, et curauit eos ibi. 3. Et accesserunt ad eum Pharisaei temptantes eum et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? 4. Et respondens Jesus ait illis: Non legistis, quia qui fecit masculum et feminam ab initio fecit eos? et dixit: 5. Propter hoc relinquet homo patrem et ma-

trem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. 6. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo deus coniunxit, homo non separet. 7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari librum repudii, et dimittere uxorem? 8. Ait illis Jesus: quoniam ad duritiam cordis uestri permisit Moyses dimittere uxores uestras; ab initio autem non fuit sic. 9. Dico autem uobis: quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moecatur. 10. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa uiri cum uxore, non expedit nubere. 11. Dixit autem illis Jesus: Non omnes capiunt uerbum istut, sed quicumque datum est. 12. Sunt enim spadones, qui de matris suae utero sic nati sunt; et sunt spadones, qui facti sunt ab hominibus; et sunt spadones, qui se ipsos castrauerunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat. 13. Tunc oblati sunt ei pueri, ut manus eis imponeret et oraret. Discipuli autem prohibebant eos. 14. Jesus uero ait: Sinite eos et nolite prohibere ad me uenire, talium est enim regnum caelorum. 15. Et impositis illis manibus abiit inde. 16. Et ecce unus accessit ad illum et ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam uitam aeternam? 17. Ad Jesus dixit ei: Quid me interrogas de bono? unus est bonus deus. Sed si uis in uitam aeternam uenire, serua mandata. 18. Dicit illi: Quae? Jesus autem dixit: Non occidis, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices. 19. Honora patrem tuum et matrem tuam, et diliges proximum tuum sicut te ipsum. 20. Dicit illi adulescens: Omnia haec custodiui a iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? 21. Ait illi Jesus: Si uis perfectus esse, uade, uende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thensaurum in caelo, et ueni, sequere me. 22. Cum audisset autem adulescens uerbum hoc, abiit tristes, erat enim habens multas possessiones. 23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico uobis, quod diues difficile intrauit in regno caelorum. 24. Iterum dico uobis: Facilius est camillum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum caelorum. 25. Auditis autem discipulis haec mirabantur, et timebant ualde dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? 26. Aspiciens autem Jesus dixit illis: Aput homines hoc impossibile est; aput deum autem omnia possibilia sunt. 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? 28. Jesus autem dixit illis: Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et uos super sedes XII iudicantes duodecim tribus Istrahel. 29. Et omnis qui reliquerit domum, uel fratrem, aut sorores, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centu-

plum accipiet, et uitam aeternam possidebit. 30. Multi autem sunt primi nobissimi et nobissimi primi.

XX. 1. Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in uineam suam. 2. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in uineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam inuenit alios stantes in foro otiosos, 4. et ait illis: Ite et uos in uineam, et quod iustum fuerit, dabo uobis. 5. Illi autem abierunt. Iterum exiit circa sextam et nonam horam et fecit similiter. 6. Circa undecimam autem exiit, et inuenit alios stantes et dicit illis: quid hic statis tota die otiosi? 7. Dicunt ei: Quia nemo conduxit nos. Dicit illis: Ite et uos in uineam meam. 8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus uineae procuratori suo: Uoca operarios et redde illis mercedem, incipiens a nobissimis usque ad primos. 9. Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt singulos denarios. 10. Uenientes et primi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi, acceperunt autem et ipsi singulos denarios. 11. Et accipientes murmurauerunt aduersus patrem familias 12. dicentes: Hi nobissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei et aestus? 13. Ad ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuria; nonne et denario conuenisti mecum? 14. Tolle quod tuum est, et uade; uolo autem et huic nobissimo dare sicut et tibi. 15. Aut non licet mihi facere quod uolo? an occulus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16. Sic erunt nobissimi primi et primi nobissimi. Multi sunt enim uocati, pauci autem electi. 17. Et ascendens Jesus Hierosolyma adsumsit XII discipulos et ait illis: 18. Ecce ascendimus Hierosolyma, 19. et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad deludendum et flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo. 21. Ipse autem dixit ei: Quid uis? Ait ei illa: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam et unus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem Jesus, dixit illis: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. 23. Ait illis Jesus: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam aut sinistram, non est meum dare nobis, sed quibus paratum est a patre meo. 24. Et audientes decem, contristati sunt de duobus fratribus. 25. Jesus autem uocauit eos ad se, et ait: Scitis quod principes gentium dominentur eorum, et qui maiores sunt, po-

testatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter uos; sed quicumque uoluerit inter uos maior fieri, erit uester minister; 27. et qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. 28. Sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis. Uos autem quaeritis de pusillo crescere et de minore maiores esse. Intrantes autem et rogati ad cenam, nolite recumbere in locis eminentioribus, ne forte clarior te superueniat; et adcedens qui ad cenam uocauit te, dicat tibi: Adhuc deorsum accede, et confundaris. Si autem in loco inferiori recubueris, et superuenerit humilior te, dicet tibi, qui ad cenam uocauit te: accede adhuc sursum. Et erit hoc tibi utilius. 29. Et egredientibus eis ab Jericho secuta est eum turba multa; 30. et ecce duo caeci sedentes secus uiam audierunt quod Jesus transit, et clamauerunt dicentes: miserere nobis, fili Dauid. 31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. Ad illi magis clamabant dicentes: domine, miserere nobis, fili Dauid. 32. Et stetit Jesus, et uocauit et ait: Quid uultis faciam uobis? 33. Dicunt illi: domine, ut aperiantur oculi nostri. 34. Misertus autem illorum Jesus et tetigit oculos eorum. Et confestim uiderunt et secuti sunt eum.

XXI. 1. Et factum est cum adpropinquasset Hierosolymis, et benissent in Bethphage in montem oliueti; tunc Jesus misit duos discipulos suos dicens: 2. Ite in castellum, quod contra uos est, et inuenietis asinam alligatam et pullum cum ea; soluite et adducite mihi, 3. et si quis uobis aliquid dixerit, dicite quia dominus operam eorum desiderat, et confestim remittet eos. 4. Hoc autem factum est, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: dicite filiae Sion: 5. Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus sedens super pullum asinae nobellum subiugalem. 6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut praecepit illis Jesus. 7. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eum uestimenta et sedebat super eum. 8. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia; alii autem cedebant ramos de arboribus et sternebant in uia; 9. turbae autem, quae praecedebant et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Ossanna filio Dauid; benedictus qui uenit in nomine domini; ossanna in altissimis. 10. Et cum intrasset Hierosolyma, commota est uniuersa ciuitas dicentes: 11. Quis est hic? Multi autem dixerunt: Hic est Jesus propheta a Nazareth, Galilaeae. 12. Et intrauit Jesus in templum et eiciebat omnes uendentes et ementes in templum, et mensas nummulariorum et cathedras uendentium columbas euertit, 13. et dixit illis: Scriptum est: domus mea domus orationis uocabitur, uos autem fecistis eam speluncam

latronum. 14. Et accesserunt ad eum caeci et clodi in templo, et sanauit eos. 15. Uidentes autem principes sacerdotum et scribae mirabilia, quae fecit Jesus, et pueros clamantes in templo et dicentes: Ossanna filio Dauid, 16. indignati sunt et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit illis: Utique non legistis: Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem? 17. Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit. 18. Mane autem transiens in ciuitatem esuriit. 19. Et uidens fici arborem unam secus uiam, uenit ad eam, et nihil inuenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. 20. Et uidentes discipuli mirati sunt dicentes: quomodo continuo aruit? 21. Respondens autem Jesus ait: Amen dico uobis, si habueritis fidem, et non aesitaberitis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis: Tollere, et mittere in mare, fiet. 22. Et omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23. Et cum uenisset in templum, accesserunt ad eum principes sacerdotum et seniores populi, dicentes: In qua potestate haec facis? et quis tibi dedit hanc potestatem? 24. Respondens Jesus dixit illis: Interrogo uos et ego unum uerbum, quod dicite mihi, quod si dixeritis mihi, et ego uobis dicam, in qua potestate haec facio: 25. Baptismum Johannis unde erat? de caelo, an ex hominibus? Ad illi cogitabant intra se dicentes: 26. Si dixerimus: de caelo, dicet nobis; quare non creditis illi? Si autem dixerimus: ex hominibus, timemus turbam; omnes enim habent Johannen sicut prophetam. 27. Et responderunt ad Jesum, et dixerunt: Nescimus. Ait illis et ipse: Nec ego uobis dico, in qua potestate haec facio. 28. Quid autem uobis uidetur? Homo quidam habebat duos filios; et accedens ad primum dixit: Fili, uade hodie operare in uineam. 29. Ille autem respondens ait. Nolo. Postea paenitentia motus abiit in uineam. 30. Accessit autem ad alterum et dixit similiter. Ad ille respondens ait: Eo, domine, et non iit. 31. Quis ex duobus fecit patris uoluntatem? Dicunt ei: Nobissimus. Dicit illis Jesus: Amen dico uobis, quod meretrices et publicani praecedent uos in regno dei. 32. Uenit enim ad uos Johannes in uia iustitiae, et non credidistis ei; publicani autem et meretrices crediderunt ei; uos autem uidentes nec paenitentiam habuistis postea, quod non credidistis ei. 33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantauit uineam, et saepe circumdedit ei, et fodit in eam torcular, et aedificauit turrem et locauit eam colonis, et peregre profectus est. 34. Cum tempus autem fructuum adpropinquasset, misit seruos suos ad colonos, ut acciperent de fructibus suis.

35. Et coloni adprehensis seruis: unum ceciderunt, alium autem lapidauerunt, alium uero occiderunt. 36. Iterum misit alios seruos plures prioribns, et fecerunt illis similiter. 37. Nouissime autem misit filium suum unicum dicens: Forsitam uerebuntur filium meum? 38. Coloni autem uidentes filium dixerunt intra se: Hic est heres, uenite occidamus eum, et habebimus hereditatem eius. 39. Et adprehensum eum occiderunt et eicerunt extra uineam. 40. Cum ergo uenerit dominus uineae, quid faciet colonis illis? 41. Aiunt illi: Malos male perdet, et uineam suam locauit aliis colonis, qui reddent ei fructus temporibus suis. 42. Dicit illis Jesus: numquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factus est iste et est mirabilis in oculis nostris? 43. Ita dico uobis! quia auferetur a uobis regnum dei, et dabitur genti facienti fructum eius. (44 omiss.) 45. Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisaei parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis dicit. 46. Et quaerentes eum tenere, timuerunt turbam, quoniam sicut prophetam eum habebant.

XXII. 1. Et respondens Jesus dixit illis iterum in parabolis dicens: 2. Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 3. Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, et noluerunt uenire. Iterum misit alios seruos, dicens: 4. Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri et saginata occisa sunt et omnia parata sunt; uenite ad nuptias. 5. Illi autem neglexerunt et abierunt, alii in uillam suam, alii uero ad negotationem suam; 6. reliqui uero tenuerunt seruos eius, et contumelia adfectos occiderunt. 7. Ille rex cum audisset, iratus est et misit exercitum suum, et perdidit homicidas illos et ciuitatem illorum succendit. 8. Tunc ait seruis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui erant inuitati, non fuerunt digni. 9. Ite ergo ad exitus uiarum, et quoscumque inueneritis, uocate ad nuptias. 10. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quod quod inuenerunt, malos et bonos, et impletae sunt nuptiae discumbentium. 11. Intrauit autem rex: ut uideret discumbentes, et uidit ibi hominem non uestitum uestem nuptialem. 12. Et ait illi: Amice, quomodo hoc uenisti non habens uestimentum nuptialem? Ad ille obmutuit. 13. Tunc dixit rex ministris: Tollite illum pedibus et manibus et mittite in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. 14. Multi autem sunt uocati, pauci uero electi. 15. Tunc abierunt Pharisaei, et consilium acceperunt ut caperent eum in sermone. 16. Et mittunt discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus,

quia uerax es, et uiam dei in ueritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personas hominum, 17. quid tibi uidetur, licet censum dare caesari, aut non? 18. Cognita autem Jesus nequitia eorum ait: quid me temptastis hypocritae? 19. ostendite nomisma census. Ad illi obtulerunt ei denarium. 20. Ait illis Jesus: Cuius est imago haec et superscriptio? 21. Dicunt ei: Caesaris. Tunc ait illis Jesus: Reddite quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt dei, deo. 22. Et illi audientes mirati sunt et relicto eo abierunt: 23. In illa die accesserunt ad eum Sadducaei, qui dicunt non esse resurrectionem, et interrogauerunt eum dicentes: 24. Magister, Moyses dixit: si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. 25. Erant autem aput nos septem fratres; et primus uxore ducta, defunctus est semen non habens, reliquid uxorem suam fratri suo. 26. Similiter secundus et tertius, usque ad septimum. 27. Nouissime autem omnium et mulier defuncta est. 28. In resurrectione autem cuius erit uxor? Septem enim eam habuerunt. 29. Respondens Jesus, ait illis; Erratis nescientes scripturas neque uirtutem dei. 30. In resurrectione autem neque nubunt, neque uxores ducunt, sed sunt sicut angeli in caelo. 31. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quia dictum est a deo dicente uobis: 32. Ego deus Abraham et deus Isac et deus Jacob? 33. Non est deus mortuorum, sed uiuentium. Et cum audirent turbae, mirabantur super doctrinam eius. 34. Pharisaei autem audientes, quod silentium posuit Sadducaeis, 35. conuenerunt ad eum, et interrogauit eum unus ex eis legis doctor temptans eum, 36. et dicens: Magister, quod est mandatum magnum in lege? 37. Ait illis Jesus: Diliges dominum deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. 38. Hoc est maximum et primum mandatum. 39. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 40. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet, et prophetae. 41. Congregatis autem Pharisaeis, interrogauit eos Jesus dicens: 42. Quid uobis uidetur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. 43. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum dominum, dicens: 44. Dicit dominus domino meo: sede ad dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? 45. Si ergo Dauid eum in spiritu uocat dominum, quomodo filius eius est? 46. Et nemo poterat respondere ei uerbum, neque ausus est quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

XXIII. 1. Tunc Jesus locutus est ad turbas et discipulos suos, dicens: 2. Super cathedram Moysi sederunt scribae et Farisaei, 3. Omnia ergo quaecumque dixerint uobis, seruate et facite; secundum

facta uero eorum nolite facere; dicunt enim, et ipsi non faciunt. 4. Alligant autem onera grauia et ponunt in umeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. 5. Omnia uero opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus; dilatant enim fylacteria sua et magnificant fimbrias suas. 6. Amant autem primum recubitum in conuiuiis, et primas catedras in synagogis, 7. et salutationes in foro, et uocari ab hominibus rabbi. 8. Uos autem nolite uocari rabbi. Unus est enim magister uester, omnes autem uos fratres estis. 9. Et patrem nolite uocare uobis super terram; unus est enim pater uester, qui in caelis est. 10. Nec uocamini magistri, quia magister uester unus Christus. 11. Qui maior est uestrum, erit uester minister. 12. Qui autem se exaltaberit, humiliabitur, et qui se humiliabitur, exaltabitur. 13. Uae autem uobis scribae et Farisaei hypocritae, quia clauditis regnum caelorum hominibus. Uos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. 14. Uae uobis scribae et Farisaei, hypocritae, quoniam comeditis domos uiduarum, occansione longa orantes; propter hoc accipietis amplius iudicium. 15. Uae uobis scribae et Farisaei, hypocritae, quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam uos. 16. Uae uobis duces caeci, qui dicitis: quicumque iurauerit in templo, nihil est; qui autem iuraberit in auro templi, debet. 17. Stulti et caeci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum. 18. Et qui — — — 27. hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. 28. Sic et uos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. 29. Uae uobis scribae et Farisaei hypocritae, qui aedificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta iustorum, et dicitis: 30. quia si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. 31. Itaque testimonium redditis uobis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. 32. Et uos implete mensuram patrum uestrorum. 33. Generatio uiperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennae? 34. Ideo ecce ego mitto ad uos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis et crucifigetis et flagellabitis in synagogis uestris, et persequimini de ciuitate in ciuitatem, 35. ut ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae fili Barachie, quem occidistis inter templum et altare. 36. Amen dico uobis, uenient haec omnia super generationem istam. 37. Hierusalem, Hierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quotiens uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub

alas suas, et noluistis? 38. Ecce, relinquetur uobis domus uestra deserta. 39. Dico autem uobis, quia non me uidebitis amodo, donec dicatis: benedictus qui benit in nomine domini.

XXIV. 1. Et egressus Jesus de templo ibat. Et accesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei structuras templi. 2. Ipse autem respondens dixit illis: Uidetis haec omnia? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. 3. Sedente autem ipso super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes: Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum aduentus tui, et consummationis saeculi? 4. Et respondens Jesus dixit: Uidete, ne quis uos seducat ullo modo. 5. Multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent. 6. Audientes autem praelia et opiniones bellorum. Uidete, ne turbemini. Oportet enim fieri haec, sed nondum est finis. 7. Insurget enim gens contra gentem, et regnum contra regnum, et erunt fames, et terremotus per loca omnia. 8. Haec initia sunt dolorum. 9. Tunc tradent uos in tribulationem, et occident uos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10. Et tunc scandalizabuntur multi, et inuicem tradent, et odio habebunt inuicem. 11. Et multi pseudoprophetae insurgent et seducent multos. 12. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. 13. Sed qui permanserit in finem, in finem, hic saluus erit. 14. Et praedicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe terrarum in testimonium omnibus gentibus, et tunc ueniet consummatio. 15. Cum ergo uideritis abominationem desolationis, quod dictum est a Daniel propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intellegat, 16. tunc qui in Judaea sunt, fugiant in montibus, 17. et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo, 18. et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. 19. Uae autem pregnantibus et ubera dantibus in illis diebus. 20. Orate autem, ut non fiat fuga uestra hieme uel sabbato. 21. Erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio saeculi usque modo, neque fiet. 22. Et nisi brebiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos brebiabuntur dies illi. 23. Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere. 24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. 25. Ecce praedixi uobis. 26. Si autem dixerit uobis: ecce in deserto est, uel ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque occidentem, ita erit et aduentus fili hominis. 28. Ubicumque erit corpus, illic congre-

gabuntur aquile. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et uirtutes caelorum commouebuntur. 30. Et tunc parebit signum fili hominis in caelo, et tunc concident se omnes tribus terrae, et uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cum uirtute multa et maiestate, 31. et mittet angelos suos cum tuba et uoce magna, et congregabunt electos eius a quatuor angulos caeli, a summis caelorum usque ad terminum eorum. Cum coeperint autem haec fieri, respicite, et leuate capita uestra, quoniam adpropiat redemptio uestra. 32. A fici autem arbore discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, et folia nascuntur, scitis, quia prope est aestas; 33. et uos cum uideritis haec omnia, scitote quia prope est in ianuis. 34. Amen dico uobis, quia non praeteribit haec generatio, donec omnia fiant. 35. Caelum et terra transibunt; uerba uero mea non praeteribunt. 36. De die autem uel hora nemo scit, neque angeli caelorum, nec filius, nisi pater solus. 37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit et aduentus fili hominis. 38. Sicut erat in diebus illis ante dilubium, manducantes et bibentes, nubentes et nupto tradentes usque eo die, quo intrabit in arcam, 39. et non cognouerunt donec uenit diluuium et tulit omnes, ita erit aduentus fili hominis. 40. Tunc duo erunt in agro, unus adsumetur, et unus relinquetur. Duae molentes ad molam, una adsumetur, et una relinquetur. 41. Duo in lecto, unus adsumetur et unus relinquetur. 42. Uigilate ergo quia nescitis qua hora dominus uenturus est. 43. Illut autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur uenit, uigilaret utique, et non sineret perfodiri domum suam. 44. Ideo et uos nescitis, qua hora filius hominis uenturus est. 45. Quisnam est fidelis seruus, et prudens, quem constituit dominus eius supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore. 46. Beatus ille seruus, quem ueniens dominus eius inueniet sic facientem. 47. Amen dico uobis, quoniam super omnia constituet eum. 48. Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo: Moram facit dominus meus uenire, 49. et incipiet percutere conseruos suos, manducet autem et bibat cum ebriis, 50. ueniet dominus serui illius in die, qua non sperat, et hora, qua ignorat, et diuidet eum, 51. partemque eius ponit cum hypocritis, illic erit fletus et stridor dentium.

XXV. 1. Tunc simile aestimabitur regnum caelorum decem uirginibus, quae acceperunt lampades suas, et uenerunt obuiam sponso, et sponsae. 2. Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes; 3. sed quinque fatuae, acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum; 4. prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus suis. 5. Moram autem sponso faciente, dormitauerunt omnes, et dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus uenit, surgite obuiam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes illae uirgines, et acceperunt lampades suas. 8. Fatuae autem sapientibus dixerunt: date nobis de oleo uestro, quia lampades nostrae extinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: non, ne forte non sufficiat nobis et uobis, ite potius ad uendentes et emite uobis. 10. Dum eunt emere, uenit sponsus, et quae paratae erant, intrauerunt cum eo in nuptias, et clausa est ianua. 11. Nobissimae ueniunt relique uirgines, dicentes: domine, domine, aperi nobis. 12. Ad ille respondens ait: Amen dico uobis, quod nescio uos. 13. Uigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. 14. Sicut enim homo peregre afuturus uocabit seruos suos et tradidit illis bona sua. 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii uero unum, unicuique secundum propriam uirtutem suam, et profectus est. 16. Continuo abiit qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis alia quinque. 17. Similiter qui duo accepit, lucratus est in eis alia duo. 18. Qui autem unum talentum accepit, fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. 19. Post multum uero temporis uenit dominus seruorum illorum, et posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, optulit alia quinque super talenta dicens: domine, quinque talenta mihi dedisti, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi dominus eius: Euge bone serbe, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. intra in gaudium domini tui 22. Accessit autem qui duo talenta acceperat et ait: domine, tradidisti mihi duo talenta, ecce, alia duo lucratus sum. 23. Ait illi dominus eius: Euge serbe bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 24. Accedens autem qui unum talentum acceperat, ait: domine, scio quia homo austeris es, metis ubi non seminasti, et congregas, ubi non sparsisti, 25. et timens abii et abscondi talentum tuum in terra; habes ecce quod tuum est. 26. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male et piger, sciebas quod meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi, 27. oportuit ergo te committere pecuniam nummulariis, et ueniens ego cum usuris recepissem, quod meum est. 28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet X talenta, 29. Omni enim habenti dabitur et abundabit; ei autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo. 30. Et nequam seruum proicite foras in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium. 31.

Cum autem uenerit filius hominis in maiestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae, 32. et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab inuicem, 33. sicut pastor segregat oues ab aedis; et statuet oues ad dextris suis, aedos autem ad sinistris. 34. Tunc dicit rex his, qui ad dextris eius sunt: Benite benedicti patris mei, possidete paratum uobis regnum a constitutione mundi. 35. Esurii enim, et dedistis mihi manducare; sitiui et dedistis mihi potum; 36. ospes eram, et collexistis me; nudus, et operuistis me, infirmus, et uisitastis me, in carcerem eram, et uenistis ad me. 37. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: domine, quando te uidimus esurientem, et pauimus te, sitientem, et dedimus tibi potum? 38. quando autem te uidimus hospitem et collegimus te, aut nudum, et cooperimus te. 39. aut quando infirmum aut in carcerem et uenimus ad te? 40. Et respondens rex dicit illis: Amen dico uobis, quamdiu fecistis uni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis. 41. Tunc dicit is, qui ad sinistris eius sunt: discedite a me maledicti in ignem aeternum, quem parauit pater meus diabulo et angelis eius. 42. Esurii enim, et non dedistis mihi manducare; sitiui, et non dedistis mihi potum; 43. hospes eram, et non collexistis me, nudus, et non operuistis, infirmus et in carcerem, et non uisitastis me. 44. Tunc respondebunt et ipsi dicentes: domine, quando te uidimus esurientem aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, uel in carcerem, aut infirmum et non ministrabimus te? 45. Tunc respondebit illis dicens: Amen dico uobis: quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt, hi in ignem aeternum, iusti autem in uitam aeternam.

XXVI. 1. Et factum est, postquam consummauit Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: 2. Scitis quia post biduum pascha fiet, et filius hominis tradetur ut crucifigatur. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caifas, 4. et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. 5. Dicebant autem: ut non die festo tumultus fieret in populo. 6. Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, 7. accessit ad eum mulier, habens alabastrum unguenti praetiosi et infudit super caput eius recumbente ipso. 8. Uidentes autem discipuli indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec fit huius unguenti? 9. potuit enim istut uenundari praetio et dari pauperibus. 10. Quod ut cognouit Jesus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. 11. Nam semper pauperes habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis. 12. Mittens enim

haec unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit. 13. Amen dico uobis: ubicumque praedicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicitur et quod haec fecit in memoria ipsius. 14. Tunc abiit unus de duodecim, qui Judas dicitur Scarioth, ad principes sacerdotum et ait illis: 15. Quid uultis mihi dare, et ego uobis eum tradam? 16. Ad illi constituerunt ei XXX stateres. Et exinde quaerebat opportunitatem, ut eum traderet eis. 17. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi bis paremus tibi pascha manducare? 18. Ad ille dixit eis: Ite in ciuitate ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, aput te facio pascha cum discipulis meis. 19. Et fecerunt discipuli sicut praecepit illis Jesus, et parauerunt pascha. 20. Uespere autem facto, discubuit cum XII discipulis suis. 21. Et edentibus illis dixit: Amen dico uobis, quod unus uestrum me traditurus est. 22. Et contristati nimis, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, domine? 23. Ad ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in parabside, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo; uae autem homini illi, per quem filius hominis traditur; bonum erat homini illi non nasci. 25. Respondens autem Judas, qui traditurus erat eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi Jesus: tu dixisti. 26. Ipsis autem cenantibus, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit deditque discipulis suis et ait: Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum. 27. Et accipiens calicem, gratias egit et dedit illis dicens: accipite et bibite ex hoc. 28. Hic est enim sanguis meus noui et aeterni testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29. Dico autem uobis: non bibam amodo de hac creatura uitis huius, usque in diem illum, cum illud bibam uobiscum nobum in regno patris mei. 30. Et hymno dicto, exierunt in montem Olibeti. 31. Tunc dicit illis: omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispargentur oues gregis. 32. Sed postquam ressurexero, praecedam uos in Galilaeam. 33. Respondens autem Petrus ait: Si omnes scandalizabuntur in te, ego numquam scandalizabor. 34. Dicit illi Jesus: Amen dico tibi, quod hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. 35. Ait illi Petrus: Etiamsi opportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. 36. Tunc uenit Jesus cum illis in praedium, quod dicitur Gedsamani, et dixit discipulis suis: Sedete hic donec eo illuc orare. 37. Et adsumpto Petro et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et mestus esse. 38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hic et uigilate mecum. 39. Et progressus pusillum

procidit in faciem suam, orans et dicens: Pater meus, si possibile est, transfer a me calicem istum; sed tamen non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. 40. Et uenit ad discipulos suos et inuenit eos dormientes et ait Petro: sic non potuistis una hora uigilare mecum? 41. Uigilate et orate, ut non ueniatis in temptationem. Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. 42. Iterum secundo abiit et orauit dicens: Pater meus, si non potest hoc transire, nisi illud bibam, fiat uoluntas tua. 43. Et uenit iterum et inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati a somno. 44. Et relictis illis, iterum abiit et orauit eundem sermonem dicens. 45. Tunc uenit ad discipulos suos et dicit illis: Dormite iam et requiescite, ecce adpropiauit hora, et filius hominis traditur in manibus peccatorum. 46. Surgite eamus, ecce adpropiauit qui me tradet. 47. Adhuc ipso loquente, ecce Judas unus de XII uenit et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum et senioribus plebis. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. 49. Et confestim accedens ad Jesum dixit: Habe rabbi, et osculatus est eum. 50. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quod uenisti? Tunc accesserunt et manus iniecerunt in Jesum et tenuerunt eum. 51. Et ecce, unus ex his, qui erant cum Jesum, extendens manum, exemit gladium suum et percussit seruum principis sacerdotum et amputauit auriculam eius. 52. Tunc ait illi Jesus: Conuerte gladium tuum in loco suo. Omnes enim, qui accipiunt gladium, gladio peribunt. 53. Aut non putas posse me modo rogare patrem meum et exibebit mihi plus quam XII milia legiones angelorum? 54. Quomodo ergo implebuntur scripturae prophetarum, quia hic oportet fieri? 55. In illa hora dixit Jesus turbis: Quasi ad latronem uenistis cum gladiis et fustibus conprehendere me; cotidie aput uos sedebam in templo docens, et non me tenuistis. 56. Hoc autem totum factum est, ut impleantur scripturae prophetarum: Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugierunt. 57. Ad illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caifam, principem sacerdotum, ubi scribae et seniores conuenerant. 58. Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro sedebat cum ministris, ut uideret finem rei. 59. Principes autem sacerdotum et uniuersum concilium quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, 60. et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem uenerunt duo falsi testes et dixerunt: audiuimus hunc dixisse: 61. Possum destruere templum hoc dei, et post triduo illud reaedificare. 62. Et surgens princeps sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea, quae isti aduersum te testificantur?

63. Jesus autem tacebat. Et respondens princeps sacerdotum ait illi: Adiura te per deum uiuum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius dei. 64. Dicit illi Jesus: Tu dixisti; amen dico uobis, amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dextram uirtutis et uenientem cum nubibus caeli. 65. Tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasfemiam eius; quid uobis uidetur? 66. Ad illi responderunt omnes et dixerunt: Reus est mortis. 67. Tunc expuerunt in faciem et colaphis eum caeciderunt, dicentes: 68. prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit. 69. Petrus uero sedebat foris in atrio, et accessit una ancilla ad eum dicens: Et tu cum Jesu Galilaeo eras. 70. Ad ille negauit coram omnibus dicens: Nescio, quid dicis, neque intellego. 71. Exeuntem autem illum ianuam, uidit illum alia ancilla et ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. 72. Et iterum negauit cum iuramento, dicens: non noui hominem. 73. Et post pusillum accesserunt, qui stabant et dixerunt Petro: Uere ex illis es tu, nam et loquella tua similis est. 74. Tunc coepit deuotare se et iurare, quod non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. 75. Et rememoratus est Petrus uerbi Jesu, quod dixerat ei: priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, amarissime plorauit.

XXVII. 1. Mane autem factum consilium acceperunt omnes principes sacerdotum et seniores plebis aduersus Jesum, ut eum morti traderent. 2. Et uinctum adduxerunt eum et tradiderunt Pontio Pilato praesidi. 3. Tunc uidens Judas, qui eum tradidit, quia damnatus est; paenitentia ductus, rettulit XXX argenteos principibus sacerdotum et senioribus dicens: 4. Peccaui, quod tradiderim sanguinem iustum. Ad illi dixerunt: Quid ad nos? tu uideris. 5. Et proiectis argenteis in templo, secessit et abiit et laqueo se suspendit. 6. Tunc principes sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet mittere eos in loculum, quia praetium sanguinis est. 7. Consilio autem accepto inter se, emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum. 8. Propter hoc uocatus est ager ille: Acheldemach, quod est ager sanguinis usque in hodiernum diem. 9. Tunc impletum est, quod dictum est per prophetam dicentem: Et acceperunt XXX argenteos praetium adpraetiati, quod adpraetiauerunt a filiis Istrahel, 10. et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus. 11. Jesus autem setit ante praesidem; et interrogauit eum praeses dicens: Tu es rex Judaeorum? Dicit ei Jesus: Tu dicis. 12. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondebat. 13. Tunc dicit illi Pilatus: Non

audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? 14. Et non respondit ei ullum uerbum, ita ut miraretur praeses uehementer. 15. Per diem autem sollemnem consueberat praeses, dimittere populo unum uinctum, quem uoluissent. 16. Habebant autem uinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. 17. Congregatis autem illis, dixit Pilatus: quem uultis dimittam? Barabban an Jesum, qui dicitur Christus? 18. Sciebat enim, quod per inuidiam tradiderant eum. 19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor eius dicens: Nihil sit tibi et iusto illi. Multa enim passa sum hodie per uisum propter eum. 20. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populo, ut peterent Barraban, Jesum uero perderent. 21. Respondens autem praeses ait: Quem uultis de duobus uobis dimittam? Ad illi dixerunt Barabban. 22. Dicit illis Pilatus: quid ergo faciemus Jesum, qui dicitur Christus? 23. Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis praeses: Quid enim mali fecit? Ad illi magis clamabant: Crucifigatur. 24. Uidens autem Pilatus quia nihil proficit, sed magis tumultum fieri in populo, accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine huius, uos uideritis. 25. Respondens uniuersa turba dixit: Sanguis eius super nos et super filios nostros. 26. Tunc dimisit illis Barabban, Jesum uero flagellis caesum tradidit, ut cruci eum figerent. 27. Tunc milites praesidis susceperunt eum in praetorio et congregauerunt ad eum uniuersam cohortem, 28. et induerunt tunicam purpuream et clamydem coccineam circumdederunt ei. 29. et coronam de spinis posuerunt super caput eius et arundinem in dexteram eius. Et adgeniculantes se ante eum deludebant dicentes: Habe rex Judaeorum. 30. Et expuentes in faciem eius acceperunt arundinem et percutiebant caput eius. 31. Et postquam illuserunt eum, exuerunt eum clamydem et induerunt eum uestimenta eius et duxerunt, ut cruci eum figerent. 32. Exeuntes inuenerunt hominem Cyrenaeum uenientem obuiam sibi, hunc angariauerunt ut tolleret crucem eius. 33. Et uenerunt in locum, qui dicitur Golcotha, quod est Caluariae locus. 34. Et dederunt ei bibere uinum cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere. 35. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt sibi uestimenta eius sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per profetam dicentem: diuiserunt sibi uestimenta mea. Et super uestem meam miserunt sortem. 36. Et sedentes seruabant eum. 37. Et posuerunt super caput eius causam eius scriptam: Hic est rex Judaeorum. 38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris et unus a sinistris. 39. Transeuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua et dicentes: 40. Ua qui destruebas templum dei et in triduo illut re-

aedificabas, libera te, si filius dei es, et descende de cruce. 41. Similiter principes sacerdotum, deludentes cum scribis et Pharisaeis 42. dicebant: Alios saluos fecit, se ipsum saluum facere non potest? si rex Istrahel est, descendat de cruce nunc, et credimus ei. 43. Si confidit in deo, liberet nunc eum, si uult eum; dixit enim, quia dei filius sum. 44. Id ipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 45. Et postquam crucifixus est, a sexta hora tenebrae factae sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam. 46. Circa horam nonam clamauit Jesus uoce magna: Heli, heli, lama zaptani! hoc est: deus meus, deus meus, ut quid me dereliquisti? 47. Quidam autem illic stantes et audientes dicebant: Helian uocat iste. 48. Et continuo currens unus ex eis, accepta spongia, impleuit aceto et imposuit harundini et dabat ei bibere. 49. Ceteri uero dixerunt: Sine uideamus, si ueniet Helias et liberauit eum? 50. Jesus autem iterum clamans uoce magna, emisit spiritum. 51. Et ecce uelum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est et petrae fissae sunt, 52. et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum dormientium surrexerunt. 53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ipsius, uenerunt in sanctam ciuitatem et multis apparuerunt. 54. Centurio autem et qui cum eo erant, custodientes Jesum, uiso terremotu et his, quae fiebant, timuerunt ualde dicentes: Uere filius dei erat hic. 55. Erant autem ibi multae a longe uidentes, quae secutae erant Jesum a Galilaea, ministrantes ei, 56. inter quas erat Maria Magdalena et Maria Jacobi, et Joseph et mater filiorum Zebedaei. 57. Cum sero autem factum esset, uenit quidam homo diues ab Arimatia, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. 58. Hic accessit ad Pilatum et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. 59. Et accepto corpore Jesu inuoluit illud in sindone munda. 60. Et posuit eum in monumento suo nouo, quod excidit in petra, et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti et abiit. 61. Erat autem Maria Magdalena et altera Maria, sedentes contra sepulchrum. 61. Altera autem die, quae est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum et Farisaei ad Pilatum dicentes: 63. Domine, rememorati sumus, quod seductor ille dixit adhuc uiuens: Post tertium diem resurgam. 64. Juue ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte ueniant discipuli eius et furentur eum et dicant plebi: Surrexit a mortuis. Et erit nouissimus error peior priori. 65. Ait illis Pilatus: Habetis custodes, ite, custodite sicut scitis. 66. Illi autem euntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

XXVIII. 1. Uespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, uenit Maria Magdalena et altera Maria uidere sepulchrum. 2. Et ecce terremotus factus est magnus. Angelus enim domini descendit de caelo, et adcedens reuoluit lapidem et sedebat super eum, 3. erat autem aspectus eius sicut fulgur, et uestimenta eius candida sicut nix. 4. Prae timore autem eius exterriti sunt custodes et facti sunt uelut mortui. 5. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere uos, scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis; 6. non est hic, surrexit enim, sicut dixit; uenite et uidete locum, ubi positus erat dominus. 7. Et cito euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit et praecedit uos in Galilaeam, ibi eum uidebitis. Ecce dixi uobis. 8. Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno currentes nuntiare discipulis eius. 9. Et ecce Jesus occurrit illis dicens: Habete. Illae accesserunt et tenuerunt pedes eius et adorauerunt eum. 10. Tunc ait illis: Nolite timere uos, ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me uidebunt. 11. Quae cum abissent, ecce quidam de custodibus uenerunt in ciuitatem et nuntiauerunt principibus sacerdotum omnia, quae facta sunt. 12. Et congregati cum senioribus consilio accepto 13. pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte uenerunt et furati sunt eum, nobis dormientibus. 14. Et si hoc auditum fuerit a praeside, nos suadebimus ei et securos uos faciemus. 15. Ad illi accepta pecunia fecerunt sicut erant docti. Et diuulgatum est uerbum istut aput Judaeos usque in hodiernum diem. 16. XI. autem discipuli abierunt in monte, ubi constituerat illis Jesus. 17. Et uidentes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. 18. Et accedens Jesus locutus est illis dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. 19. Euntes nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti, 20. docentes eos seruare omnia, quaecumquae mandaui uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Amen.

Euangelium sec. Matthaeum explicit. Incipit sec. Johannen.

(Euangelium secundum Johannem.)

1. *In principio erat uerbum et uerbum erat aput deum, et deus erat uer . . . 2. Hoc erat in principio aput deum. 3. Omnia per eum facta sunt, et sine eum factum est nihil, quod autem factum est; 4. In eo uita est, et uita est lux hominum. 5. Et lux lucet in tenebris et tenebrae eam non comprehenderunt. 6. Fuit homo missus a deo cui nomen erat Johannis. 7. Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per eum.* 8. Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat enim lux uera, quae inluminabat omnem hominem uenientem in hunc mundum. 10. In hoc mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognouit. 11. In sua propria uenit, et sui eum non receperunt. 12. Quodquod autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, credentibus in nomine eius, 13. qui non ex sanguine neque ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, sed ex deo natus est. 14. Et uerbum caro facta est et habitauit in nobis, et uidimus honorem eius, gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratia et ueritate. 15. Johannis testificatur et clamat: Hic est, de quo dixi: Qui post me uenit, ante me factus est, quia prior me erat; 16. quoniam de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratiam; 17. quia lex per Moysen data est, gratia autem et ueritas per Jesum Christum facta est. 18. Deum nemo uidit umquam, nisi unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. 19. Et hoc est testimonium Johannis, cum mississent ad eum Judaei ab Hierosolymis sacerdotes et Leuitas, ut interrogarent eum: Tu quis es? 20. Et confessus est et non negauit; confessus est, quia ego non sum Christus. 21. Et interrogauerunt eum iterum dicentes: Helias es tu? Ait: non sum. Quid ergo? Propheta es tu? Et respondit: Non. 22. Et dixerunt: dic ergo nobis, ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de te ipso? 23. Quibus ait: ego uox clamantis in deserto: dirigite uiam domini. 24. Et qui missi fuerant ex Farisaeis. Ut interrogarent

eum, dixerunt ei: 25. quid ergo baptizas, si tu non es Christus, nec Helias, neque propheta? 26. Respondit eis Johannes dicens: ego quidem baptizo uos in aquam poenitentiae; medius autem uestrum stat, quem uos ignoratis. 27. Ipse est, qui post me uenit, cuius ego non sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius. 28. Haec facta sunt in Bethania trans Jordanen, ubi erat Johannes baptizans. 29. Postera autem die uidit Johannes Jesum uenientem ad se et ait: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 30. Hic est de quo ego dixi: post me uenit uir, qui ante me factus est, quoniam ante me erat. 31. Et ego ignorabam eum, sed ut manifestaretur Istraheli; propter hoc ego ueni in aqua baptizans. 32. Et testificatus est Johannes dicens: quoniam uidi spiritum, sicut columbam descendentem de caelo et manentem super eum. 33. Et ego ignorabam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit: Super quem uideris spiritum domini descendentem et manentem in eum, ipse est, qui baptizat in spiritu sancto. 34. Et ego uidi, et testimonium perhibui, quoniam ipse est dei filius electus. 35. Postera autem die iterum stabat Johannes et duo discipuli eius. 36. Et intuens Jesum ambulantem dixit: Ecce agnus dei. 37. Audierunt autem duo discipuli eius loquentem et secuti sunt Jesum. 38. Conuersus autem Jesus, uidit eos sequentes se et dixit eis: quid quaeritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod interpraetatur magister), ubi manes? 39. Ait illis: uenite et uidete. Uenerunt autem et uiderunt, ubi maneret, et apud eum manserunt illa die; erat enim hora circiter decima. 40. Erat Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierunt ab Johanne et secuti sunt eum. 41. Inuenit autem mane fratrem Simonem et dixit illi: Inuenimus Messiam, quod est interpractatum Christus. 42. Adduxit ergo eum ad Jesum. Intuens autem eum Jesus dixit: Tu es Simon, filius Johannis; tu uocaris Cephas, quod interpraetatur Petrus. 43. Postera autem die uoluit proficisci in Galilaeam, et inuenit Philippum; et dicit illi Jesus: Sequere me. 44. Erat autem Filippus a Bedsaida, ex ciuitate Andreae et Petri. 45. Inuenit autem Filippus Natanahel et dicit illi: quem scribsit Moyses in lege et prophetae, inuenimus, Jesum filium Joseph a Nazareth. 46. Dixit illi Natanael: a Nazareth potest aliquid boni esse? Ait illi Filippus: ueni et uide. 47. Uidens autem Jesus Natanael uenientem ad se, dixit de eo: Ecce uere Istrahelita, in quo dolus non est. 48. Ait illi Natanael: Unde me nosti? Respondit Jesus et dixit ei: Antequam te Filippus uocaret, cum esses sub arbore ficulnea, noui te. 49. Respondit ei Natanael: Rabbi, tu es filius dei, tu es rex Istrahel. 50. Respondit Jesus et dixit ei: quoniam

tibi dixi: eo quod uiderim te sub arbore ficulnea, credis; maiora horum uidebis. 51. Et dixit ei: Amen amen dico uobis: uidebitis caelum apertum et angelos dei ascendentes et descendentes ad filium hominis.

II. 1. Et tertia die nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat ibi mater Jesu 2. Inuitatus est autem et Jesus cum discipulis suis ad nuptias. 3 Et uinum non habebant, quoniam finitum erat uinum nuptiarum. Et dicit mater Jesu ad ipsum: Uinum non habent. 4. Et dixit ei Jesus: quid mihi et tibi est mulier? nondum uenit hora mea. 5. Dicit mater eius ministris: quodcumque uobis dixerit, facite. 6. Erant autem ibi positae hidriae lapideae secundum purificationem Judaeorum capientes binas uel ternas. 7. Ait illis Jesus: Implete hydrias aquam. Et impleberunt eas usque sursum. 8. Ait illis Jesus: Aurite nunc et ferte arcitriclinio. Et attulerunt. 9. Ad ubi gustauit arcitriclinius aquam uinum factam et nesciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui aurierant aquam, et uidentes factum, mirabantur; uocauit autem sponsum arcitriclinius et dixit ei: 10. Omnis homo in primis bonum binum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc infimiorem; tu autem serbasti bonum uinum usque modo. 11. Hoc primum signum fecit Jesus in Cana Galilaeae et manifestauit honorem suum et crediderunt in eum discipuli sui. 12. Post haec descendit in Cafarnaum ipse et mater eius et fratres eius, et ibi mansit non multos dies. 13. Et in proximo erat pascha Judaeorum. 14. Et ascendit Jesus in Hierosolymis et inuenit in templo, uendentes boues et oues et columbas et nummularios sedentes. 15. Et fecit quasi flagellum de restibus et omnes eiecit de templo oues quoque et boues et nummulariorum effundit nummos et mensas eorum euertit. 16. Et dixit uendentibus columbas: Tollite ista hinc, et nolite facere domum patris mei domum negotiationis. 17. Rememoratus est autem discipulus eius quoniam scriptum est: Zelus domus tuae comedit me. 18. Responderunt ei Judaei et dixerunt: quod signum ostendis nobis, quod haec facis? 19. Respondit Jesus et dixit eis: soluite hoc templum, et in triduo illud suscitabo. 20. Dixerunt ergo Judaei: XL et VI annis aedificatum est hoc templum, et tu in triduo resuscitas illud? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexit a mortuis, rememorati sunt discipuli eius, quoniam hoc dicebat, et crediderunt scripturae et uerbo, quod dixerat Jesus. 23. Cum autem esset in Hierosolymis in diem festum paschae, multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa, quae faciebat. 24. Ipse autem Jesus non credidit se eis, eo quod sciret omnes 25. et quia non necesse

habuit, ut aliquis testimonium perhiberet de eo; ipse enim nouerat quid esset in homine.

III. 1. Erat autem homo ex Pharisaeis nomine Nicodemus, princeps Iudaeorum. 2. Hic uenit ad eum nocte et dixit ei: rabbi, scimus, quia a deo uenisti magister; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit deus cum eo. 3. Respondit Jesus et dixit illi: Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest regnum dei uidere. 4. Dicit ad eum Nicodemus: quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in utero matris suae denuo introire et renasci? 5. Respondit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest renasci in regnum dei. 6. Quod natum est de carne, caro est, quoniam de carne natum est, et quod natum est de spiritu, spiritus est. 7. Ne mireris quod dixerim tibi: oportet uos renasci denuo. 8. Spiritus ubi uult spirat et uocem eius audis, sed nescis, unde ueniat, aut quo eat, sic est et omnis, qui natus est ex aqua et spiritu. 9. Respondit Nicodemus dicit ei: et quomodo possunt haec fieri? 10. Respondit Jesus et dixit ei: Tu es magister Istrahel et haec ignoras? 11. Amen, amen dico tibi: quia quod scimus, loquimur, et quod uidimus testamur, et testimonium nostrum non recipitis. 12. Si terrestria dixi uobis, et non creditis, quomodo, si dixero uobis caelestia, creditis? 13. Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, filius hominis, qui est in caelo. 14. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in solitudinem, sic exaltari oportet filium hominis, 15. ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam aeternam. 16. Sic enim dilexit deus mundum, ita ut filium suum unicum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam aeternam. 17. Nec enim misit deus filium suum in hunc mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluus fiat mundus per eum. 18. Qui credit in eum, non iudicabitur, qui uero non credit, iam iudicatus est, quoniam non credidit in nomine unigeniti fili dei. 19. Hoc est autem iudicium, quoniam lux uenit in hoc mundo, et dilexerunt homines potius tenebras, quam lumen, erant enim malae operae eorum. 20. Omnis enim qui male agit, odit lumen et non uenit ad lumen, ne arguantur opera eius; 21. qui autem fecit ueritatem, uenit ad lumen, ut manifestentur operae eius, quoniam in deo sunt operatae. 22. Post haec profectus est Jesus et discipuli eius in Judaeam terram, et ibi morabatur cum eis. 23. Erat autem Johannes baptizans in Aeno iuxta Salim, quoniam aquae multae erant ibi, et ueniebant et baptizabantur. 24. Nondum enim erat Johannes coactus in

carcerem. 25. Facta est autem quaestio ex discipulis Johannis cum Judaeis de purificatione. 26. Et ueneruut ad Johannem et dixerunt ei: rabbi, qui erat tecum trans Jordanen, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes ueniunt ad eum. 27. Respondit Johannes dicens: Non potest homo accipere quicquam, nisi illi datum fuerit desuper. 28. Ipsi uos testimonium mihi perhibetis, quoniam dixi: non sum ego Christus, sed quia praemissus sum ante eum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter uocem eius. Hoc ergo gaudium meum completum est. 30. Illum oportet crescere, me autem minorari. 31. Qui de sursum uenit, super omnes est. Qui uero ex terra est, de terra est et de terra loquitur. 32. Qui autem de caelo uenit, quod uidit et audiuit, testatur, et testimonium illius nemo accipit. 33. Qui autem accipit testimonium eius, signauit, quoniam deus uerax est. 34. Quem enim misit deus, uerba dei loquitur, non enim ad mensuram dat spiritum. 35. Pater diligit filium, et omnia dedit in manus eius. 36. Qui credit in filio, habet uitam aeternam: qui autem non credit filio, non uidebit uitam aeternam, sed ira dei in eo permanebit.

IV. 1. Cum ergo cognouisset Jesus audisse Pharisaeos, quod Jesus plures discipulos facit quam Johannes et baptizat, 2. (quamquam Jesus ipse non baptizaret, sed discipuli eius,) 3. reliquit igitur Judaeam et profectus est iterum in Galilaeam. 4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Uenit igitur in ciuitatem Samariae, quae dicitur Esychar, iuxta praedium, quod dedit Jacob Joseph filio suo. 6. Erat autem fons Jacob. Jesus igitur fatigatus ob itinere sedebat super fontem. Hora autem erat circiter sexta. 7. Et uenit quaedam mulier a Samaria haurire aquam. 8. Dicit ei Jesus: da mihi bibere; discipuli enim eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerent. 9. Dicit ergo ei mulier Samaritana: Tu, cum sis Judaeus, quomodo a me bibere petis, cum sim mulier Samaritissa? 10. Respondit Jesus et dixit ei: Si scires donum dei et quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu magis petisses eum, et dedisset tibi aquam uiuam. 11. Dicit illi mulier: Domine, neque hauritorium habes, et puteum altum est, unde habes aquam uiuam? 12. Numquid tu maior es patri nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo uibit et filii eius et pecora eius? 13. Respondit Jesus et dixit ei: omnis, qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit de aqua, quam ego dedero ei, non sitiet in sempiternum, 14. sed aquam, quem ego dabo ei, fiet

in eo fons aquae salientis in uitam aeternam. 15. Dicit ei mulier: domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ueniam istis haurire hinc. 16. Dicit ei Jesus: uade, uoca uirum tuum et ueni hoc. 17. Respondit mulier et dixit ei: Non habeo uirum. Ait ei Jesus: bene dixisti, quia non habes uirum; 18. quinque enim uiros habuisti, et nunc, quem habes, uir tuus non est; hoc uero dixisti. 19. Dicit illi mulier: domine, uideo, quia propheta es. 20. Patres nostri in hoc monte adorauerunt, et uos dicitis, quia in Hierosolymis est locus, ubi adorari oportet. 21. Dicit illi Jesus: Crede mihi, mulier, quoniam uenit hora, cum neque in isto monte, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. 22. Uos adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus, quoniam salus ex Judaea est. 23. Sed uenit hora, et nunc est, cum ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu et ueritate. Etenim pater tales quaerit, qui adorent eum in spiritu. 24. Spiritus est deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et ueritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias uenit (qui dicitur Christus,) cum ergo uenerit ille, adnuntiauit nobis omnia. 26. Dicit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum. 27. Et statim uenerunt discipuli eius, et mirabantur eo, quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen ei dixit: quid quaeris uel quid cum ea loqueris? 28. Reliquid igitur mulier hydriam suam et abiit in ciuitatem et dixit hominibus: 29. Uenite et uidete hominem, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci, numquid ipse est Christus? 30. Et exierunt de ciuitate et ueniebant ad eum. 31. Postmodum autem rogabant eum discipuli dicentes: rabbi, manduca. 32. Ad ille dixit eis: Ego escam habeo manducare, quam uos nescitis. 33. Dicunt autem discipuli eius ad alterutrum: Numquid aliquid aliquis ei attulit manducare? 34. Dicit illi Jesus: Mea esca est, ut faciam uoluntatem eius, qui me misit, et ut perficiam opus eius. 35. Nonne uos dicitis, quoniam quatuor adhuc menses, et messis uenit? Ecce dico uobis: adleuate oculos uestros et aspicite regiones, quia albae sunt ad messem. 36. Iam qui metit, mercedem accipit et congraegat fructum in uitam aeternam, ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. 37. In hoc enim est uerbum uerum, quoniam alius est, qui seminat, et alius, qui metit. 38. Ego misi uos metere, quod uos non laborastis, et uos in labore eorum intrastis. 39. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris testimonium perhibentis, quoniam dixit ei omnia, quae fecit. 40. Ut ergo uenerunt ad eum Samaritani, rogabant eum, ut aput eos maneret. 41. Et mansit ibi biduum. Et multo plures crediderunt propter uerbum eius. 42 Et dicebant mulieri: Iam non propter tuum

testimonium credimus ei; ipsi enim audiuimus et scimus, quia hic est uere saluator mundi. 43. Post biduum autem profectus est inde in Galilaeam. 44. Ipse enim Jesus testatus est, quoniam propheta in patria sua dignitatem non habet. 45. Cum uenisset autem in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, uidentes omnia, quae fecit in Hierosolymis in diem festum, et ipsi enim aduenerant in diem festum. 46. Uenit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit de aqua uinum. Erat autem quidam regulus, cuius filius infirmabatur in Cafarnaum. 47. Hic cum audisset, quod Jesus uenit ex Judaea in Galilaeam, uenit ad illum et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium eius; incipiebat mori. 48. Dixit autem Jesus ad eum: nisi signa et prodigia uideritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus: domine, descende, antequam moriatur puer. 50. Ait illi Jesus: uade, filius tuus uiuit. Et credidit homo ille uerbo, quod dixit illi Jesus, et ibat. 51. Iamque ipso descedente serui occurerunt illi et nuntiauerunt ei, quoniam filius tuus uiuit. 52. Interrogauit ergo horam ab illis, in qua melius habuit. Et dixerunt: heri hora septima reliquid illum febris. 53. Cognouit ergo pater, quoniam illa hora, qua dixerat ei Jesus: filius tuus uiuit, et credidit ipse et domus eius uniuersa. 54. Hoc iterum secundum fecit Jesus signum ueniens de Judaea in Galilaeam.

V. 1. Post haec erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus Hierosolymis 2. in inferiorem partem natatoriae piscinae, quae dicitur Hebreice Betzeta, quinque porticus habens. 3. In his decumbebant turbae infirmorum, caecorum, claudorum, aridorum, paralyticorum, expectantium aquae motum. 4. Angelus autem descendebat et mouebat aquam. Et quicunque prior descendebat in natatoria, sanus fiebat quacumque tenebatur infirmitate. 5. Erat autem ibi homo XXX. et VIII. annos habens in infirmitatem. 6. Hunc ut uidit Jesus iacentem, sciens quod iam multum temporis habuerit, ait illi: Uis sanus fieri. 7. Respondit illi infirmus et dixit: domine, hominem non habeo, ut cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum enim ego uenio, alter ante me descendit. 8. Ait illi Jesus: surge et tolle grabattum tuum et ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille, et surrexit et sustulit grabattum suum et ambulabat. Erat autem sabbatum in illa die. 10. Dicebant ergo Judaei illi, qui curatus fuerat: Sabbatum est, et non licet tibi tollere grabattum tuum. 11. Respondit illis dicens: Qui fecit me sanum, ipse mihi dixit: Tolle grabattum tuum et ambula. 13. Infirmus autem nesciebat, quis esset. Jesus enim statim deuertit, cum uidisset turbam in illo loco. 14. Post haec inuenit eum Jesus in templo et

dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. 15. Et abiit homo ille et indicauit Judaeis, quia Jesus est, qui fecit eum sanum. 16. Et propter hoc persequabantur Judaei Jesum, quia haec faciebat sabbato. Jesus autem respondit eis dicens: 17. Pater meus usque adhuc operatur, et ego operor. 18. Propter hoc magis quaerebant eum Judaei interficere, quod non solum soluebat sabbatum, sed et quod patrem suum diceret deum, aequalem se faciens deo. Respondit Jesus et dixit eis: 19. Amen, amen dico uobis: non potest filius ab se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem: quaequae enim illi facit, eadem et filius facit similiter. 20. Pater enim diligit filium et omnia demonstrat ei, quae ipse facit, et maiora opera demonstrauit ei, ut uos admiremini. 21. Sicut enim pater suscitat mortuos et uiuificat, sic et filius, quos uult, uiuificat. 22. Nec enim pater iudicat quemquam, sed iudicium omnem dedit filio, 23. ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem; qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum. 24. Amen, amen dico uobis, quoniam qui uerbum meum audit, et credit ei, qui me misit, habet uitam aeternam, et in iudicium non ueniet, sed transit de morte ad uitam. 25. Amen, amen dico uobis, quoniam ueniet hora, in qua audient mortui uocem filii dei, et qui audierint, uiuent. 26. Sicut enim pater habet uitam in se, sic et filio dedit habere uitam in semetipso, 27. et potestatem dedit ei iudicium faciendum, quoniam filius hominis est. 28. Nolite mirari haec, quoniam ueniet hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem eius, 29. et resurgent, qui bona fecerunt in resurrectionem uitae, qui autem iniqua gesserunt, in resurrectionem iudicii. 30. Non enim possum ego a me ipso facere quicquam. Sicut enim audio, ita et iudicio, et iudicium meum iustum est, quia non quaero uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui me misit patris. 31. Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est uerum. 32. Alius est, qui testificatur de me, et scio, quia uerum est testimonium eius, quod testificatur de me. 33. Uos misistis ad Johannem et testimonium perhibuit ueritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed haec ideo dico, ut uos salui sitis. 35. Ille erat lucerna ardens et lucens. Uos uero uoluistis exultare ad horam in lumine eius. 36. Ego autem habeo testimonium maius Johannen. Opera enim, quae dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa opera eius, quae facio, testimonium perhibent de me, 37. quoniam pater me misit et qui me misit pater, ipse testimonium perhibet de me; neque uocem eius umquam audistis, neque figuram uidistis, 38. et uerbum eius non habetis in uobis manentem, quoniam quem

misit ille, huic uos non creditis. 39. Scrutate scripturas, quoniam putatis uos in ipsis uitam aeternam habere, et ipsae sunt, quae testimonium perhibent de me, in quibus putatis uos uitam habere, haec sunt, quae testificantur de me, 40. et non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. 41. Honorem ab hominibus non accipio 42. Sed cognoui uos, quoniam non habetis caritatem dei in uobis. 43. Ego ueni in nomine patris mei, et non accepistis me; si alius uenerit in nomine suo, illum recipitis. 44. Quomodo potestis uos credere, qui honorem ab inuicem accepistis, et honorem eius, qui est solus, non quaeritis? 45. Nolite putare, quoniam ego uos aput patrem accusabo, est qui bos accuset Moyses, in quem uos sperastis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. 47. Nam si illius litteris non creditis, quomodo uerbis meis credetis?

VI. 1. Post haec abiit Jesus trans mare Galilaeae in partes Tiberiadis. 2. Sequebatur autem eum turba multa, quia uidebant signa, quae faciebat de infirmibus. 3. Ascendit ergo Jesus in montem, et ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem in proximo pascha, dies festus Judaeorum. 5. Eleuatis ergo oculis Jesus, eo quod uidisset quia turba magna ueniret ad se, ait Philippo: Unde emimus panes, ut manducent isti? 6. Haec autem dicebat, temptans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus, dicens: ducentis denariis panes non sufficient eis, ut unusquisque modicum accipiat. 8. Dicit ei unus ex discipulis suis, Andreas frater Simonis Petri: 9. Est hic puer, qui habet quinque panes hordiacios et duos pisces; sed haec quid sunt in tantos? 10. Dixit autem Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem plurimum foenum in illo loco. Discubuerunt ergo uiri, numero circiter quinque milia. 11. Accepit autem panes Jesus et gratias egit et dedit discipulis suis, discipuli autem discumbentibus, similiter distribuerunt et de piscibus quantum uolebant. 12. Ad ubi saturati sunt, dixit discipulis: Colligite, quae supersunt fragmenta, ne quid ex illis pereat. 13. Collegerunt autem et impleuerunt XII. cophinos fragmentorum de quinque panibus hordeaciis, quae superauerunt eis, qui manducauerant. 14. Illi ergo homines cum uidissent signum, quod fecit, dicebant: Hic est uere propheta, qui in hunc mundum uenturus est. 15. Jesus ergo sciens, quia incipient turbae uenire et rapere eum ut facerent eum regem, secessit iterum in montem solus. 16. Cum autem uespere factum esset, descenderunt discipuli eius ad mare. 17. Et ascendentes nauiculam, ueniebant trans mare in Cafarnaum, et cum iam tenebrae factae essent,

nondum uenerat ad eos Jesus. 18. Mare autem ualidissimo uento flante insurgebant. 19. Et cum remigassent stadia quasi uel XXV. vel XXX., uident Jesum ambulantem super mare, et iuxta nauem fieri, et timuerunt ualde. 20. Ille autem dixit eis: ego sum, nolite timere. 21. Uolebant ergo recipere eum in nauiculam, et statim nauis accessit ad terram, in qua ibant. 22. Altera autem die turba, quae stabat trans mare, uidit, quia nauigium aliut non erat, nisi unum illut, et quia non simul ascendit cum discipulis suis Jesus in nauem, sed soli discipuli eius fuerunt, 23. et cum superuenissent aliae naues a Tiberiade, quae in proximo erant loco illic ubi manducauerant panem, quem benedixerat dominus. 24. Cum ergo uidissent turbae, quod Jesus non est ibi, neque discipuli eius, acceperunt sibi ipsi nauiculas et uenerunt in Cafarnaum quaerentes. 25. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: rabbi, quando hic uenisti? 26. Respondit autem eis Jesus et dixit: Amen, amen dico uobis: quaeritis me non quia uidistis signa et prodigia, sed quia manducastis de panibus et satiati estis. 27. Operamini escam, non quae perit, sed escam, quae permanet in uitam aeternam, quam filius hominis dabit uobis. Hunc enim pater signauit deus. 28. Dixerunt igitur ad eum: Quid faciemus, ut operemus operam dei? 29. Respondit Jesus et dixit eis: Hoc est opus dei, ut credatis in eum, quem ipse misit. 30. Dixerunt ergo ei: Quod autem tu facis signum, ut uideamus et credamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri manna manducauerunt in deserto, sicut scriptum est: panem de caelo dedit eis manducare. 32. Dixit autem eis Jesus: Amen, amen dico uobis: Non Moyses dedit uobis panem de caelo, sed pater meus dat uobis panem de caelo, illum uerum panem. 33. Panis enim dei est, qui descendit de caelo et uitam dans huic mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum: domine, semper da nobis hunc panem. 35. Dixit eis Jesus: Ego sum panis uitae; qui uenit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet umquam. 36. Sed dixi uobis, quoniam et uidistis, sed non creditis. 37. Omne, quod dat mihi pater, ad me ueniet, et eum, qui uenit ad me, non apello; 38. nec enim descendi de caelo, ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem patris, qui me misit. 39. Haec est autem uoluntas eius, qui misit me, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illum in nouissima die. 40. Haec est enim uoluntas patris mei, ut omnes, qui uidet filium et credit in eum, habeat uitam aeternam, et resuscitabo eum in nouissima die. 41. Murmurabant igitur Judaei de eo, quod dixisset: Ego sum panis, qui de caelo descendi, et dicebant: 42. Nonne hic est filius Joseph, cuius noscimus patrem? quomodo ergo

hic dicit: quoniam de caelo descendi? 43. Respondit ergo Jesus et dixit eis: Nolite murmurare inter uos; 44. nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui me misit, adtraxerit eum, et ego resuscitabo eum in nouissima die. 45. Scriptum est enim in propheta: Et erunt omnes docibiles dei. Omnes, qui audit a patre et didicerit, uenit ad me. 46. Non quod patrem uiderit quisquam, nisi qui est a deo, hic uidet deum. 47. Amen, amen dico uobis: qui credit in me, habet uitam aeternam. 48. Ego sum panis uitae. 49. Patres uestri manducauerunt panem in deserto mannam et mortui sunt. 50. Hic est panis, qui de caelo descendit, ut, si quis ex eo manducaberit, non moriatur, sed uiuat. 51. Ego sum panis uiuus, qui de caelo descendi. 52. Si quis manducauerit ex eo pane, uiuet in aeternum, panis quem ego dedero, caro mea est pro huius mundi uita. 53. Litigabant igitur inter se Judaei dicentes: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam manducare? 54. Dixit autem eis Jesus: Amen, amen dico uobis: Nisi ederitis carnem fili hominis et biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis. 55. Qui ediderit carnem meam et biberit sanguinem meum, habebit uitam aeternam, et ego resuscitabo illum in nouissima die. 56. Caro mea uere est esca, et sanguis meus uere est potus. 57. Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eum. 58. Sicut misit me uiuus pater et ego uiuo per patrem, et qui manducauerit carnem meam et ipse uiuit per me. 59. Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducauerunt patres uestri manna et mortui sunt. Qui uero manducauerit hunc panem, uiuit in aeternum. 60. Haec ergo dicebat in synagoga docens in Cafarnaum. 61. Multi ergo ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? 62. Sciens igitur Jesus penes se, quia murmurarent de hoc discipuli, dixit eis: Hoc uos scandalizat? 63. Quid si uideritis filium hominis ascendentem, ubi fuit prius? 64. Spiritus est, qui uiuificat, nam caro nihil prodest; uerba, quae ego locutus sum uobis, spiritus est et uita. 65. Sed ex uobis sunt quidam, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent increduli et quis esset traditurus eum. 66. Et dicebat: propter hoc dixi uobis, quia nemo potest uenire ad me, nisi ei datum fuerit a patre. 67. Ex hoc ergo multi ex discipulis eius abierunt retro, etiam cum eo iam non ambulabant. 68. Dixit autem Jesus ad XII.: Numquid et uos uultis ire? 69. Respondens autem Simon Petrus dixit: domine, ad quem ibimus? uerba uitae aeternae habes. 70. Et nos credimus et cognouimus, quoniam tu es filius dei. 71. Respondit Jesus: Nonne ego uos XII elegi, unus tamen ex uobis

diabulus est? 72. Dicebat autem de Juda Simone Scarioth, hic enim traditurus eum erat, cum esset unus de XII.

VII. 1. Post haec ambulabat Jesus in Galilaea, non enim habebat potestatem in Judaea ambulare, quia Judaei quaerebant interficere eum. 2. Erat autem in proximo dies sollemnis Judaeorum scenopegiae. 3. Dixerunt igitur ad eum fratres ipsius: Transi hinc, et uade in Judaeam, ut et discipuli tui uideant opera, quae facis. 4. Nemo enim aliquid faciens in occulto quaerit pro palam esse; si haec facis, manifesta te ipsum huic mundo. 5. Neque enim fratres eius credebant tunc in eum. 6. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum aduenit; tempus autem uestrum semper est paratum: 7. Non potest mundus odire uos; me autem odit, quia ego testificor de eo, quoniam opera eius pessima sunt. 8. Uos ascendite in diem festum, ego non ascendam in diem festum, quoniam tempus meum nondum completum est. 9. Haec cum dixisset, remansit ipse in Galilaeam. 10. Cum autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit in diem festum, non palam, sed occulte. 11. Judaei autem quaerebant eum in diem festum, dicentes: ubi est ille? 12. Et murmur de eo erat magnum in turba. Quidam enim dicebant: quoniam bonus est; alii: non, sed seducit populum. 13. Nemo tamen in palam loquebatur de eo propter metum Judaeorum. 14. Cum autem iam dies festus medius esset, ascendit Jesus in templo et docebat. 15. Mirabantur autem Judaei dicentes: Quomodo hic litteras nouit, cum non didicerit. 16. Respondit antem Jesus et dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. 17. Si quis uoluerit uoluntatem illius facere, cognoscet de doctrina, utrum ne ex deo sit, an ex me ipso loquar. 18. Qui a semetipso loquitur, gloriam suam quaerit, nam qui quaerit gloriam eius, qui eum misit, uerax est, et iniquitas in eo non est. 19. Nonne Moyses dedit uobis legem, et nemo ex uobis facit legem? 20. Quid me quaeritis occidere? 21. Respondit Jesus et dixit eis: Unum opus feci et omnes miramini. 22. Propter hoc Moyses dedit uobis circumcisionem, (non quod ex Moysen sit, sed ex patribus uestris), et sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Moysi, mihi irascimini, quoniam totum hominem saluum feci sabbato? 24. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. 25. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis: Nonne hic est, quem quaerant occidere? 26. Et ecce in palam loquitur et nihil illi dicunt? Numquid uere cognouerunt principes, quia ipse est Christus? 27. Sed hunc scimus

unde sit; Christum autem, cum uenerit, nemo scit unde sit. 28. Clamabat igitur Jesus in templo docens et dicens: Et me scitis et unde sim nostis; nec enim a me ueni, sed est uerax, qui me misit, quem uos ignoratis. 29. Ego autem noui illum, quoniam ab eo sum et ipse me misit. 30. Quaerebant igitur eum adprehendere, et nemo iniecit manus in illum, quia nondum uenerat hora eius. 31. Ex turba autem multi crediderunt in eum et dicebant: Christus cum uenerit, numquid plura signa faciet quam quae iste fecit? 32. Audierunt sacerdotes et Farisaei populum mussitantem de eo et miserunt ministros, ut adpraehenderent eum. 33. Dixit autem Jesus: adhuc pusillum tempus uobiscum sum, et uado ad eum, qui me misit. 34. Quaeritis me, et non inuenietis, et ubi ego sum, uos uenire non potestis. 35. Dicebant igitur Judaei alterutrum: Ubi hic iturus est, quia non inueniemus eum? Numquid in dispersionem Graecorum incipiet ire et docere Graecos? 36. Quis est hic sermo, quem dixit: quaeritis me et non inuenietis me, et ubi sum ego, uos uenire non potestis? 37. In nouissimo autem die magno ac sollemne stabat Jesus et clamabat dicens: Si quis sitit, ueniat et bibat. 38. Qui credit in me, sicut dixit scriptura: flumina de uentre eius fluent aquae uiuae. 39. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant; nondum enim erat datus spiritus, quia Jesus non erat honorificatus. 40. De populo igitur audientes haec uerba dicebant: Hic est uere propheta. 41. Alii uero dicebant: Numquid ergo ex Galilaea Christus uenit? 42. Nonne scriptura dicit: quia ex semine Dauid et Betlehem municipio, ubi erat Dauid, Christus uenit? 43. Dissensio ergo facta est in turba propter eum. 44. Quidam autem ex eis uolebant adpraehendere eum, sed nemo in — — —

VIII. 12. Rursus autem congregatis illis loquebatur Jesus dicens: Ego sum lux huius mundi, qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitae. 13. Dixerunt autem ei Pharisaei: Tu de te testimonium perhibes, testimonium tuum non est uerum. 14. Respondit Jesus et dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum uerum est, quoniam scio, unde ueni, et quo eam; uos enim nescitis, unde uenerim et quo eam. 15. Et uos secundum carnem iudicatis: ego non iudico neminem, 16. quod si ego iudico, iudicium meum uerum est, quoniam solus non sum; sed ego sum, et qui me misit pater. 17. In lege quoque scriptum est, quoniam duorum hominum testimonium uerum est. 18. Ego sum, qui testificor de me, et qui me misit pater testimonium perhibet de me. 19. Dicebant

igitur ei: Ubi est pater tuus? Rospondit Jesus et dixit eis: Neque me nostis, neque patrem meum: si me sciretis, et patrem meum sciretis. 20. Haec uerba locutus est in gazophylacio, docens in templo, et nemo adpraehendit eum, quia nondum uenerat hora eius. 21. Dixit iterum ad eos: Ego uado et quaeritis me, et in peccato uestro moriemini. Quo ego eo, uos non potestis uenire. 22. Dicebant igitur Judaei: Numquid interficiet se? quoniam dicit: Ubi ego uado, uos uenire non potestis? 23. Iterum dicebat eis: Uos ex inferioribus estis, ego de supernis sum, uos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi itaque uobis, quia moriemini in peccato uestro; si enim non crediderit is, quoniam ego sum, moriemini in peccato uestro. 25. Dicebant autem ei: Tu quis es? Dixit autem eis Jesus: Inprimis, quia loquor uobis, 26. cum multa habeam de uobis dicere et iudicare; sed qui me misit, uerax est, et ego quae audiui ab eo, haec loquor in hoc mundo. 27. Et non intellexerunt, quoniam de deo patre diceret eis: 28. Dixit autem illis Jesus: Cum exaltaberitis filium hominis, tunc scietis, quoniam ego sum, et nihil a me facio, sed sicut docuit me pater, haec loquor, 29. et qui me misit, mecum est, et non reliquid me solum, quia ego, quae sunt ei placita, semper facio. 30. Haec eo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat autem Jesus ad eos, qui crediderant ei ex Judaeis: Si uos permanseritis in uerbo meo, uere discipuli mei estis, 32. et scietis ueritatem, et ueritas ipsa liberauit uos. 33. Responderunt illi Judaei dicentes: semen Abraham sumus, et nemini umquam seruiuimus, quomodo tu dicis: liberi eritis? 34. Respondit Jesus: Amen, amen dico uobis; quia omnis, qui facit peccatum, seruus est. 35. Seruus autem non manet in domo in aeternum; nam filius manet in aeternum. 36. Si ergo uos filius liberauerit, uere liberi eritis. 37. Scio, quia semen Abrahae estis, et quaeritis me occidere, quoniam uerbum meum non capit in uobis. 38. Ego quod uidi aput patrem meum, hoc loquor, et uos ergo quae uidistis aput patrem uestrum, facite. 39. Responderunt et dixerunt: Pater noster Abraham est. Dixit autem eis Jesus: Si fili Abrahae essetis, opera utique eius faceretis. 40. Nunc autem quaeritis me occidere, hominem, qui ueritatem locutus sum uobis, quam audiui a deo; hoc Abraham non fecit. 41. Sed uos facitis opera patris uestri. Dixerunt ei: Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus deum. 42. Dicit eis Jesus: Si deus pater uester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex deo processi et ueni; nec enim a me ueni, sed ille me misit. 43. Quare loquellam meam non cognoscitis? Quoniam non potestis audire uerbum meum. 44. Uos ex patre diabulo estis, et concupiscentiam patris uestri uultis facere. Ille homicida fuit ab initio, et in ueritate non stetit, quia ueritas in eo non est; quando loquitur mendacium, de suis loquitur, quoniam mendax est sicut et pater eius. 45. Ego quia ueritatem dico uobis, non creditis mihi. 46. Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? 47. Qui est ex deo, uerba dei audit; propterea uos non auditis, quoniam ex deo non estis. 48. Responderunt Judaei et dixerunt ei: nonne recte dicimus nos, quia Samaritanus es tu et daemonium habes? 49. Respondit Jesus: Ego daemonium non habeo, sed honorifico patrem meum, uos dehonorificatis me. 50. Ego autem non quaero honorem meum, est qui quaerit et iudicat. 51. Amen, amen dico uobis, si quis uerbum meum seruaberit, mortem non uidebit in aeternum. 52. Dixerunt ei Judaei: Nunc cognouimus, quoniam daemonium habes. Abraham mortuus est et prophetae, et tu dicis: Si quis uerbum meum seruaberit, non gustabit mortem. 53. Numquid tu maior es Abrahae, qui mortuus est? et prophetae, qui mortui sunt? quem te ergo facis? 54. Respondit Jesus: si ego honorifico me, honor meus nihil est; pater meus est, qui honorificat me, quem uos dicitis, quoniam deus uester, 55 et non nostis eum, ego autem noui eum; et si dixero, quoniam non noui eum, ero similis uobis mendax. Sed scio illum et uerbum eius custodio. 56. Abraham pater uester laetabatur ut uideret diem meum, et uidit et gauisus est. 57. Dixerunt ergo ad eum: quinquaginta annos nondum habes et Abraham uidisti? 58. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico uobis, ante Abraham ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, ut mitterent in eum. Jesus uero abscondit se et exiit de templo.

IX. 1. Et praeteriens uidit caecum ex natiuitatem. 2. et interrogauerunt eum discipuli sui dicentes: rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, quoniam caecus natus est? 3. Respondit Jesus et dixit eis: Neque hic peccauit, necque parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in eo. 4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, cum dies est, ueniet enim nox, cum nemo poterit operari. 5. Cum sum in hoc mundo, lumen sum mundi. 6. Haec cum dixisset, expuit in terram et fecit lutum de sputamento et superlinuit lutum super oculos illius caeci, 7. et dixit ei: Uade in natatoriam Siloam, (quod interpraetatur missus); et perrexit et abluit se et uenit uidens. 8. Uicini autem illius, et qui uiderant eum antea, (quoniam mendicus erat et caecus), dicebant: Nonne hic est, qui sedebat et mendicabat? 9. Alii dicebant: hic est; alii dicebant: non est, sed similis est illi; ille autem dicebat:

ego sum. 10. Dixerunt ergo ei: quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit ille et dixit: Homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit et superlinuit me et dixit mihi: Uade in Siloam et ablue te; et abii et ablui me et uidere coepi. 12. Dixerunt autem ei: Ubi est ille? Ait illis: nescio. 13. Perduxerunt autem eum ad Pharisaeos, qui caecus fuerat. 14. Erat autem sabbatum, qua die lutum fecit Jesus et aperuit illi oculos. 15. Rursus igitur interrogabant eum Pharisaei dicentes: quomodo uides? Et ille dixit eis: lutum fecit et imposuit super oculos meos, et ablui me in Siloam et ecce uideo. 16. Dicebant autem quidam ex Pharisaeis: Homo hic non est a deo, quod sic sabbatum non obserbat. Alii dicebant: quomodo potest homo peccator talia signa facere? Et dissensio erat inter eos. 17. Dicebant ergo caeco illi. Tu, quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos. Ille autem dixit: quia propheta est. 18. Non credebant Judaei de illo, qui fuerat caecus, donec uocauerunt parentes eius, 19. et interrogauerunt eos: Hic est filius uester, quem uos dicitis, quia caecus natus est? quomodo ergo uidet modo? 20. Responderunt illis parentes eius et dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster et quia caecus natus est. 21. Quomodo autem nunc uideat, nescimus, aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus; aetatem habet, ipse pro se loquatur. 22. Haec dixerunt parentes eius, quia timebant Judaeos, iam enim consiliati erant Judaei, ut si quis eum confiteretur Christum, extra Synagogam fieret. 23. Propterea parentes eius dixerunt: quia aetatem habet, ipsum interrogate. 24. Uocauerunt ergo hominem iterum, qui fuerat caecus et dixerunt ei: da honorem deo, nos scimus, quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo ille: Si peccator est, nescio, unum scio, quia caecus cum essem, modo uideo. 26. Dixerunt ergo ei: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit oculos tuos? 27. Respondit eis: Dixi uobis iam, et audistis; quid iterum uultis audire? numquid et uos uultis discipuli eius fieri? 28. Maledixerunt ei et dixerunt: Tu discipulus illius sis, nos Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus, quia Moysi locutus est deus; hunc autem nescimus unde sit. 30. Respondit ille homo et dixit: In hoc mirabile est, quia uos nescitis, unde sit et aperuit oculos meos; 31. scio, quia peccatores deus non exaudit; sed si quis dei cultor est et uoluntatem eius facit, hunc exaudit deus. 32. A saeculo numquam auditum est, quia aperuit quis oculos caeci nati. 33. Nisi esset hic a deo, non poterat facere quicquam. 34. Responderunt et dixerunt hic ei: In peccato natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. 35. Audiit autem Jesus, quia eiecerunt eum foras, et inuenit eum et dixit ei: Tu credis in filium dei? 36. Respondit ille et dixit:

quis est, domine, ut credam in illum? 37. Dixit ei Jesus: Et uidisti, et qui loquitur tecum, ipse est. 39. In iuditium ego ueni in hunc mundum, ut qui non uiderint, uideant, et qui uident, caeci fiant. 40. Et audierunt ex Pharisaeis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei: Numquid et nos caeci sumus? 41. Dixit eis Jesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum; sed dicitis: quia uidemus, peccatum uestrum manet in uobis.

X. 1. Amen, amen dico uobis: qui non introit per ianuam in cohortem ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. 2. Qui autem introit per ianuam, hic pastor est ouium. 3. Huic ostiarius aperit, et oues uocem eius audiunt, et suas ouiculas uocat nominatim, et producit illas. 4. Cum autem oues suas omnes emiserit, ante ipsas uadit, et ouiculae illum secuntur, quia sciunt eius uocem. 5. Alienum autem non secuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt eius uocem. 6. Hoc prouerbium dixit illis Jesus. Illi autem non cognouerunt, quod loquebatur eis. 7. Dixit ergo eis iterum: Amen, amen dico uobis, quia ego sum ianua ouium. 8. Quodquod uenerunt, fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oues. 9. Ego sum ianua; per me si quis introierit, saluabitur, et introibit et exiet et pascua inueniet. 10. Fur non uenit, nisi ut furetur et occidat et perdat. Ego ueni, ut uitam habeant et habundantius habeant. 11. Ego sum pastor bonus; pastor enim bonus animam suam tradet pro ouibus suis. 12. Mercenarius autem et qui non est pastor, cuius non sunt propriae oues, uidet lupum uenientem et dimittit oues et fugit, quia mercennarius est, et lupus rapit et dispargit oues; 13 mercennarius autem fugit, quia mercennarius est et non pertinet ad eum de ouibus. 14. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae. 15. Sicut agnoscit me pater, et ego agnosco patrem, et animam meam pono pro ouibus meis. 16. Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouile, et illas oportet me adducere, et uocem meam audient, et fiet unus grex et unus pastor. 17. Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam illam. 18. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc praeceptum accepi a patre. 19. Dissensio iterum facta est inter Judaeos propter sermones hos. 20. Et dicebant multi ex illis: Daemonium habet et insanit, quid eum auditis? 21. Alii dicebant: Haec uerba non sunt daemonium habentis; numquid daemonium potest caecorum oculos aperire? 22. Facta sunt encenia Hierosolymis. 23. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis.

24. Circumdederunt ergo eum Judaei et dicunt ei: Usquequo animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Jesus: loquor uobis, et non crediditis; opera quae ego facio in nomine patris mei, haec testimonium perhibent de me; 26. sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis sicut dixi uobis. 27. Qui sunt ex ouibus meis, uocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et secuntur me, 28. et ego uitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non quisquam rapiet eas de manu mea. 29. Pater, quod dedit mihi, maius omnibus est, et nemo potest rapere de manu patris mei. 30. Ego et pater unus sumus. 31. Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum. 32. Et respondit eis Jesus: Multa opera ostendi uobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Judaei: de bono opere non lapidamus te, sed de blasfemia; et quia tu homo cum sis, facis te deum. 34. Respondit Jesus: Nonne scriptum est in lege: quia ego dixi: dii estis. 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo fiebat dei, et non potest solui scriptura, 36. quem pater sanctificauit et misit in hunc mundum, uos dicitis, quia blasfemat, quoniam dixi: filius dei sum. 37. Si non facio opera patris, nolite credere mihi. 38. Quod si facio, et mihi non uultis credere, uel operibus credite, et cognoscetis quia in me est pater et ego in eo. 39. Quaerebant ergo eum adpraehendere, et exiit de manibus eorum. 40. Et abiit iterum trans Jordanen in eum locum, ubi erat Johannes baptizans primum et manebat illic. 41. Et multi ueniebant ad eum et dicebant: quia Johannes quidem signum fecit nullum. 42. Omnia autem quaecunque Johannes dixit de hoc, uera erant. Et multi crediderunt in eum.

XI. 1. Erat autem quidam infirmus, nomine Lazarus a Bethania, de castello Mariae et Marthae, sororis eius. 2. Maria autem erat, quae unxit Jesum unguento et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. 3. Miserunt ergo ad Jesum dicentes: domine, quem amas, ecce infirmatur. 4. Audiuit Jesus et dixit: Haec infirmitas non est ad mortem, sed pro claritate dei, ut clarificetur filius dei per ipsum. 5. Diligebat autem Jesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum. 6. Ut ergo audiuit, quia infirmatur, tunc quidem mansit Jesus in eodem loco duos dies. 7. Deinde post haec dicit discipulis suis: Eamus in Judaeam iterum. 8. Dicunt ei discipuli: rabbi, nunc quaerebant te lapidare Judaei, et iterum uadis illuc? 9. Respondit Jesus: Nonne XII. horae sunt diei? Si quis ambulauerit interdius, non offendit, quia lucem mundi huius uidet; 10. si quis ambulaberit

nocte, offendet, quia lux non est in eo. 11. Haec ait et post haec dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut suscitem eum. 12. Dixerunt ei discipuli: domine, si dormit, saluus erit. 13. Dixerat autem Jesus de morte eius; illi autem putauerunt quod de dormitione somni diceret eis. 14. Tunc ergo eis dixit Jesus manifeste: Lazarus mortuus est; 15. sed gaudeo propter uos, ut credatis, quoniam non eram ibi; sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur didymus, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum illo. 17. Uenit ergo Jesus et inuenit eum quattuor dies iam in monumento habentem. 18. Erat autem Bethania iuxta Hierosolyma quasi a stadiis XV. 19. Multi autem ex Judaeis uenerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo cum audiuit, quia Jesus uenerat, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. 21. Dixit itaque Martha ad Jesum: domine, si hic fuisses, frater meus non esset mortuus; 22. sed nunc scio, quia quaecumque petieris a deo, dabit tibi deus. 23. Dicit ei Jesus: Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in nobissimo die. 25. Dixit autem ei Jesus: Ego sum resurrectio et uita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuit, 26. et omnis qui uiuit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? 27. Ait ei Martha: Utique domine, ego credidi, quia tu es Christus filius dei, qui in hunc mundum uenisti. 28. Et cum haec dixisset, abiit et uocauit Mariam sororem suam silentio dicens: Magister adest et uocat te. 29. Et illa ut audiuit, surrexit cito et ueniebat ad eum, 30. nondum enim uenerat Jesus in castellum, sed erat adhuc illo loco, ubi occurrerat ei Martha. 31. Judaei autem, qui erant cum ea in domo, qui adloquebantur eam, cum uidissent Maria quia cito surrexit et exiuit, secuti sunt eam dicentes: quia uadit ad monumentum, ut fleat ibi. 32. Maria autem ut uenit, ubi erat Jesus et uidit eum, cecidit ad pedes eius et dixit ei: domine, si hic fuisses, non esset mortuus frater meus. 33. Jesus ergo ut uidit eam flentem et Judaeos flentes, qui uenerant cum ea, infremuit spiritu et turbauit semetipsum et dixit: 34. Ubi posuistis eum? Dicunt ei, domine: ueni et uide. 35. Et lacrimatus est Jesus. 36. Dixerunt ergo Judaei: Ecce, quomodo amabat eum. 37. Quidam autem dixerunt ex ipsis: Non potuit hic, qui aperuit oculos caeci, facere, ne et hic moreretur? 38. Jesus ergo fremuit intra semetipsum et uenit ad monumentum; erat autem spelunca, et lapis superpositus ei. 39. Dicit Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha: domine, iam fetet, quadriduum enim habet. 40. Dicit illi Jesus: Non dixi tibi: quia si credideris, uidebis gloriam dei? 41. Tulerunt ergo

lapidem. Jesus autem leuauit oculos suos ad caelum et dixit: pater, gratias ago tibi, quia audisti me. 42. Et ego sciebam, quia semper me audis, sed propter turbam, quae circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. 43. Haec cum dixisset, uoce magna clamauit dicens: Lazare, prodi foras. 44. Et exiit ille, qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies eius sudario conligata erat. Et dixit ad eos Jesus: Soluite eum, et sinite ire. 45. Multi ergo ex Judaeis, qui uenerant ad Mariam, uidentes quae fecit, crediderunt in eum. 46. Quidam uero ex ipsis abierunt ad Pharisaeos et dixerunt eis, quod fecit Jesus. 47. Collegerunt ergo principes sacerdotum et Pharisaei concilium et dicebant: Quid faciemus, quia hic homo talia signa facit? 48. Si relinquamus eum sic, omnes credent in eum, et uenient Romani et tollent nostrum locum et gentem. 49. Unus autem ex ipsis nomine Caifas, cum esset princeps sacerdotum anni illius, dixit eis: Uos nescitis quicquam, 50. necque cogitatis, quia expedit uobis, ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat. 51. Hoc autem a se ipso non dicebat, sed cum esset princeps sacerdotum anni illius, prophetauit, quia incipit Jesus mori pro gente, 52. et non tantum pro gentem, sed ut filios dei, qui sunt dispersi, colligat in unum. 53. Ab illo ergo die cogitauerunt, ut interficerent eum. 54. Jesus ergo iam non palam ambulabat aput Judaeos, sed abiit in regionem longinquam iuxta desertum in ciuitatem, quae dicitur Efrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat pascha Judaeorum. Ascenderunt ergo multi Hierosolyma de regione ante pascha, ut sanctificarent se ipsos. 56. Quaerebant ergo Jesum, et conloquebantur alius ad alium in templo stantes et dicentes: Putatis quia non uenit ad diem festum? Dederunt autem principes sacerdotum et Pharisaei praeceptum, ut si quis cognouerit ubi sit, ut indicet, et adprehendant.

XII. 1. Jesus ergo ante sex dies paschae uenit Bethaniam ubi erat Lazarus, qui fuit mortuus, quem suscitauit. 2. Fecerunt ergo ei cenam ibi, et Martha ministrabat, et Lazarus unus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria itaque accepit libram unguenti pistici et unxit pedes Jesu et extersit capillis suis pedes eius, et domus impleta est ex odore unguenti. 4. Et dicit unus ex discipulis eius, Judas Simon Scariotes, qui incipiebat eum tradere: 5. Quare hoc unguentum non ueniit denariis CCC. et datum est pauperibus? 6. Dixit autem hoc, non quia de pauperibus pertinebat ad eum, sed quia fur erat et loculos habebat, et quae mittebantur exportabat. 7. Dixit ergo Jesus:

Sine illam, ut in diem sepulturae meae seruet illut. 8. Pauperes enim semper habebitis uobiscum, me autem non semper. 9. Et turba multa ex Judaeis audiuit, quia illic est, et uenerunt non propter Jesum, sed ut Lazarum uiderent, quem suscitauit a mortuis. 10. Cogitauerunt autem principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent, 11. quia multi propter illum abibant Judaeorum et credebant in Jesum. 12. In crastinum autem turba, quae uenit ad diem festum, cum audissent, quia uenit Jesus Hierosolyma, 13. acceperunt flores palmarum et processerunt obuiam ei et clamabant: Ossanna, benedictus, qui uenit in nomine domini, rex Istrahel. 14. Et inuenit Jesus asellum et sedit super eum, sicut scriptum est: 15. Noli timere, filia Sion, ecce rex tuus uenit sedens super pullum asini. 16. Haec non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando clarificatus est Jesus, recordati sunt, quia haec erant scripta, et haec fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quae erat cum eo, quia Lazarum uocauit de monumento et suscitauit eum a mortuis. 18. Propterea obuiam ei uenit turba, quoniam audierunt, quia hoc fecit signum. 19. Pharisaei ergo dixerunt ad semet ipsos: Uidetis, quia non prodestis quicquam? ecce omnis mundus post eum abiit. 20. Erant Graeci quidam ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum dicentes: Domine, uolumus Jesum uidere. 22. Uenit Philippus et dicit Andreae, Andreas autem et Philippus iterum dicunt ad Jesum. 23. Jesus autem respondit eis dicens: Uenit hora, ut clarificetur filius hominis. 24. Amen, amen dico uobis: nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. 25. Si autem mortuum fuerit, multum fructum adferet. Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam aeternam custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat, sequatur me, et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si quis autem mihi ministraberit, honorificabit eum pater. 27. Nunc anima mea turbatur, et quid dicam? pater, saluifica me, pater, ex hac hora; sed propterea uenit in horam istam. 28. Pater clarifica tuum nomen. Uenit ergo uox de caelo: Et clarificabi et iterum clarificabo. 29. Turba ergo, quae stabat et audiebat, dixerunt: Tonitruum factum est; alii dicebant: angelus ei locutus est. 30. Respondit Jesus et dixit: Non propter me uox haec uenit, sed propter uos. 31. Nunc iuditium est mundi, nunc princeps mundi huius mittetur deorsum. 32. Et ego, si exaltatus ero a terra, omnia traham ad me. 33. Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus. 34. Respondit ei turba: Nos

audiuimus ex lege, quia Christus manet in aeternum, et quomodo tu dicis: Quia oportet exaltari filium hominis? Quis est filius hominis? 35. Dicit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus lux in uobis est. Ambulate, dum lucem habebitis, ut non tenebrae uos comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit, quo eat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Haec locutus est Jesus et abiit et abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, 38. ut sermo Eseiae Prophetae impleatur, quod dixit: domine, quis credidit auditui nostro? et bracchium domini cui reuelatum est? 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eseias: 40. Excoecauit oculos eorum et indurauit cor eorum, ut non uideant oculis et intellegant corde et conuertantur, et sanabo eos. 41. Haec dixit Eseias, quando uidit maiestatem eius, et locutus est de eo. 42. Interim tamen et ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisaeos non confitebantur, ne de synagoga eicerentur. 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam dei. 44. Jesus autem clamabat et dicebat: qui credit in me, credit et in eum, qui misit me. 45. Ego lux in hunc mundum ueni; omnis, qui credit in me, in tenebris non manet. 47. Et qui audierit uerba mea et custodierit, ego eum non iudico; non enim ueni, ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. 48. Qui spernit me, et non accipit uerba mea, habet, qui iudicet eum. Sermo, quem ego locutus sum, ille iudicabit eum nouissimo die. 49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi praeceptum dedit, quid dicam et quid loquar. 50. Et scio, quia praeceptum eius uita aeterna est; quae ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

XIII. 1. Ante diem autem festum paschae sciens Jesus, quia uenit eius hora, ut transiret ex hoc mundo ad patrem, diligens discipulos suos, qui erant in hoc mundo, usque in finem dilexit eos. 2. Et cena facta, cum diabulus iam se misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Scariotes, 3. sciens autem Jesus, quia omnia dedit ei pater in manus, et quia adeo exiuit et ad deum uadit, 4. surgit a cena et ponit uestimenta, et cum accepisset linteum, praecinxit se. 5. Deinde misit aquas in peluem et coepit lauare pedes discipulorum et extergere de linteo, quo erat praecinctus. 6. Uenit ad Simonem. Et dixit illi: domine, tu mihi lauas pedes? 7. Respondit Jesus et dixit ei: quod ego facio, tu nescis, cognosces postea. 8. Dicit ei Petrus: Non lauas mihi in aeternum. Respondit Jesus: Si non labero te, non habes partem mecum. 9. Dixit ei Simon Petrus: domine non tantum pedes, sed

etiam manus et caput. 10. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes labet, sed est mundus totus; et uos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim, qui traderet eum, quis esset; propterea dixit: quia non estis mundi omnes. 12. Et postquam lauit pedes eorum, accepit uestimenta, et cum iterum recubuisset, dicit eis: Scitis, quid fecerim uobis? 13. Uos uocatis me magister et dominus, et bene dicitis: sum enim. 14. Si ergo laui uestros pedes ego dominus et magister, et uos debetis alter alterius lauare pedes. 15. Exemplum enim dedi uobis, ut, quemadmodum ego facio uobis, etiam et uos faciatis. 16. Amen, amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, necque apostolus maior eum, qui misit eum. 17. Si haec scitis, beati estis, si feceritis ea. 18. Non de omnibus uobis dico; ego scio, quos elegerim, sed ut impleatur scriptura: qui edit mecum panem, leuauit super me calcaneum suum. 19. Amodo dico uobis, priusquam fiat, ut credatis, cum factum fuerit, quoniam ego sum. 20. Amen, amen dico uobis, qui accipit eum, quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. 21. Haec cum dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est et dixit: Amen, amen dico uobis, quia unus ex uobis tradet me. 22. Ascipiebant ergo alius ad alium discipuli esitantes, de quo diceret. 23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus et dixit ei: Dic, quis est? 25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: domine, quis est? 26. Respondit Jesus: Ille est, cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simoni Scariotae. 27. Et ut accepit panem, introiuit in eum satanas. Dicit ergo ei Jesus: Quod facis, fac celerius. 28. Hoc autem nemo sciit discumbentium, quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quoniam dicit ei Jesus: eme ea, quae opus sunt in uobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. 30. Cum ergo accepisset panem, exiuit continuo; erat autem nox. 31. Cum ergo exisset, dicit Jesus: Nunc clarificatus est filius hominis, et deus clarificatus est in eo. 32. Et deus clarificauit eum in semetipso, et continuo clarificauit eum. 33. Filioli, adhuc modicum uobiscum sum; quaeritis me, et sicut dixi Judaeis: quo eo ego, uos non potestis uenire, et uobis dico modo. 34. Praeceptum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi uos ut et uos diligatis inuicem. 35. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis alius ad alium. 36. Dixit ei Simon Petrus: domine, quo uadis? Respondit Jesus: Quo ego uado, non potes me modo sequi, sequeris autem me postea. 37. Dicit ei Petrus: domine, quare non possum te

sequi modo? animam meam ponam pro te. 38. Respondit ei Jesus: animam tuam pro me ponis? Amen, amen dico tibi: non cantauit gallus, donec tu me ter neges.

XIV. 1. Non turbetur cor uestrum, credite in deum et in me credite. 2. In domo patris mei mansiones multae sunt, si quominus, dixissem uobis, quia uado parare uobis locum. 3. Et si abiero et praeparauero uobis locum, iterum uenio et accersio uos ad me, ut ubi ego sum et uos sitis. 4. Et quo uado scitis, et uiam scitis. 5 Dicit ei Thomas: domine, nescimus, quo uadis, quomodo uiam scimus? 6. Dicit ei Jesus: Ego sum uia et ueritas et uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. 7. Si cognouistis me, et patrem meum cognouistis, et amodo nostis eum et uidistis eum. 8. Dicit ei Philippus: domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis. 9. Dicit ei Jesus: Tanto temporis uobiscum sum, et non cognouistis me, Philippe; qui uidit me, uidit et patrem; quomodo tu dicis: ostende nobis patrem? 10. Non credis, quia ego in patre, et pater in me est? Uerua, quae ego loquor uobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse loquitur, et opera, quae ego facio, ipse facit. 11. Credite mihi, quia ego in patre et pater in me; 12. alioquin propter opera ipsa credite mihi. Amen, amen dico uobis, quia qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet, quia ego ad patrem uado. 13. Et quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, ego faciam, ut honorificetur pater in filio. 15. Si diligitis me, praecepta mea seruate. 16. Et ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit uobis, ut uobiscum in aeternum sit; 17. spiritum ueritatis, quem hic mundus non potest accipere, quia non uidet eum, non cognoscit eum. Uos uidetis eum et cognoscitis, quia aput uos manet et uobiscum est. 18. Non relinquam uos orfanos; uenio ad uos. 19. Adhuc modicum, et hic mundus me non uidet; uos autem uidebitis me, quia ego uiuo, et uos uiuetis. 20. In illo die cognoscetis, quia ego in patre meo, et uos in me et ego in uobis. 21. Qui audit praecepta mea et seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. 22. Dicit Judas, non ille Scariotes, sed alius: domine, quid factum est, quia nobis incipis manifestare te ipsum et non huic mundo? 23. Respondit Jesus et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruauit, et pater meus diligit eum, et ad eum ueniemus et mansionem aput eum faciemus. 24. Qui non diligit me, sermones meos non seruat; sermonem quem audistis, meus non est, sed eius, qui misit me, patris. 25. Haec locutus

sum uobis aput uos manens. 26. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, quaecumque dixero. 27. Pacem do uobis, pacem meam relinquo uobis, non quomodo hic mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor uestrum, neque formidet. 28. Audistis, quia dixi uobis: Uado, et uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis, quia uado ad patrem, quoniam pater maior me est. 29. Nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis. 30. Iam non multa loquor uobis. Uenit enim huius mundi princeps et in me non habet quicquam. 31. Sed ut cognoscat hic mundus, quia diligo patrem, sicut praeceptum mihi dedit pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

XV. 1. Ego sum uitis uera, et pater meus agricola est. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum pater, et omnem, qui adferet fructum, purgabit eum, ut fructum plurimum adferat. 3. Iam uos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. 4. Manete in me, et ego in uobis; sicut palmes non potest ferre fructum a se, nisi manserit in uite, sic et qui in me non manserit. 5. Ego sum uitis, uos palmites estis; qui manet in me, et ego in eo, hic adferet fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. 6. Si quis autem in me non manserit, praecisus est, sicut palmes, et missus est foras et aruit et colligent eos et in ignem mittunt et ardent. 7. Si manseritis in me, et uerba mea in uobis manserint, quodcumque uolueritis, petite, et fiet uobis. 8. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum adferatis, et efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me pater et ego uos dilexi; manete in dilectione mea. 10. Si praecepta mea seruaberitis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego patris praecepta seruaui et maneo in eius dilectione. 11. Haec locutus sum uobis, ut gaudium meum in uobis sit, et gaudium uestrum impleatur. 12. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis. 14. Uos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio uobis. 15. Iam non dico uos seruos, quia seruus nescit, quid facit dominus eius. Uos autem dixi amicos, quia omnia, quaecumque audiui a patre meo, nota feci nobis. 16. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos et posui uos, ut eatis et fructum adferatis, et fructus uester maneat, ut quodcumque petieritis a patre in nomine meo, det uobis. 17. Haec mando uobis, ut diligatis inuicem. 18. Si mundus uos odit, scitote, quoniam me priorem odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; uero enim quia de mundo

non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. 20. Mementote, sermonem quem ego dixi uobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et uos persequentur; si sermonem meum seruaberunt, et uestrum seruabunt. 21. Sed haec faciunt omnia circa uos propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. 22. Si non uenissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit, et patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eos, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et uiderunt et odio habuerunt et me et patrem meum. 25. Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis. 26. Cum ergo uenerit paracletus, quem ego mittam uobis a patre, spiritum ueritatis, qui a patre meo procedit, ille testimonium perhibebit de me, 27. et uos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

XVI. 1. Haec locutus sum uobis, ut non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient uos, sed uenit hora, ut omnis, qui interfecerit uos, aestimet se obsequium deo praestare; 3. sed haec facient, quia non nouerunt patrem neque me. 4. Haec autem locutus sum uobis, ut cum uenerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi uobis. 5. Haec autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram; nunc autem uado ad eum, qui misit me, et nemo ex uobis interrogat me: quo uadis? 6. Sed quia haec locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum. 7. Sed ego ueritatem dico uobis; expedit uobis, ut eam, si non habiero ego, paracletus non ueniet ad uos: si autem habiero, mittam illum ad uos. 8 Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et iudicio; 9. de peccato quidem, quia non credunt in me, 10. de justitia uero, quia eo ad patrem, et iam non uidebitis me; 11. de iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est. 12. Adhuc habeo multa uobis dicere, sed non potestis ea portare modo. 13. Cum enim uenerit ille spiritus ueritatis, deducet uos in ueritate omni. Non enim loquitur a semet ipso, sed haec, quae audit, loquetur, et quae uenient adnuntiabit uobis. 14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et adnuntiabit uobis. 15. Omnia quaecumque habet pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet et adnuntiabit uobis. 16. Modicum, et iam non uidebitis me, et iterum modicum, et uidebitis me. 17. Dixerunt ergo discipuli eius ad alterutrum: Quid est, quod dicet nobis: Modicum, et non uidebitis me, et iterum modicum, et uidebitis me, et quia uado ad patrem. 18. Quid est hoc modicum?

Nescimus, quid loquitur. 19. Cognouit Jesus, quia uolebant eum interrogare et dixit eis: De hoc quaeritis alius cum alio, quia dixi: Modicum, et non uidebitis me, et iterum modicum, et uidebitis me. 20. Amen, amen dico uobis, quia uos flebitis et lugebitis, mundus autem gaudebit; uos tristes eritis, sed tristitia uestra in gaudium conuertetur. 21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quoniam uenit dies eius, cum autem peperit puerum, iam non meminit praessurae propter gaudium, quia natus est homo in hunc mundum. 22. Et uos nunc quidem tristitiam habebitis, iterum autem uidebo uos, et gaudebit cor uestrum, et gaudium uestrum nemo tollit a uobis. 23. Et in illo die nihil me interrogatis. Amen, amen dico uobis, si quid petieritis a patre in nomine meo, dabit uobis. 24. Usque modo non petiistis nihil in nomine meo; petite et accipietis, ut gaudium uestrum sit impletum. 25. Haec in prouerbiis locutus sum uobis. Uenit hora, cum iam non in prouerbiis loquar uobis, sed palam de patre manifestabo uobis. 26. Illo die in nomine meo petitis, et non dico uobis, quia ego rogabo patrem, 27. ipse enim pater diligit uos, quia uos me diligitis, 28. et creditis, quia a deo exiui et ueni in hunc mundum; iterum relinquo mundum et uado ad patrem. 29. Dicunt ei discipuli eius: ecce nunc palam loqueris, et prouerbium nullum dicis; 30. nunc scimus, quoniam scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quoniam a deo existi. 31. Respondit eis Jesus: Modo creditis? 32. Ecce uenit hora, et iam uenit, ut dispargamini unusquisque in sua regione et me solum relinquatis, et non sum solus, quoniam pater mecum est 33. Haec locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In hoc autem mundo praessuram habebitis, sed bono animo estote, ego uici mundum.

XVII. 1. Haec locutus est Jesus, et alleuatis oculis in caelum dixit: Pater, uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te, 2.sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis uitam aeternam. 3. Haec est autem uita aeterna, ut cognoscant te solum et uerum deum, et quem misisti Jesum Christum. 4. Ego te clarificaui super terram uno opere consummato, quod dedisti mihi ut facerem, 5. et nunc clarifica me tu pater, aput temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, aput te. 6. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de hoc mundo, tui erant et mihi illos dedisti, et sermonem tuum seruaberunt. 7. Et nunc cognoui, quia omnia quaecumque dedisti mihi, abs te sunt, 8. quia uerba, quae dedisti, dedi eis, et ipsi acceperunt ea, et cognouerunt, quia

uere a te exiui, et crediderunt, quia tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro eis, quos dedisti mihi, quia tui sunt, 10. et mea omnia tua sunt, et tua mea, et clarificatus sum in eis. 11. Et iam non sum in hoc mundo, et hi in hoc mundo sunt, et ego ad te uenio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo; 12. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi, custodiui, et nemo ex eis perit, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad te uenio, et haec loquor in hoc mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus odio habuit eos, quia non sunt de mundo. 15. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos a malo. 16. De hoc mundo non sunt, sicut ego non sum de hoc mundo. 17. Sanctifica eos in ueritate, sermo tuus ueritas est. 18. Sicut me misisti in hunc mundum, et ego misi eos in hunc mundum, et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint ipsi sanctificati in ueritate. 20. Non pro his rogo tantum, sed pro his, qui credunt per sermonem eorum in me, 21. ut omnes unum sint, sicut tu pater in me et ego in te, ut et ipsi in uobis sint, ut mundus credat, quia tu me misisti. 22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. 23. Ego in eis et tu in me; ut sint consummati in unum et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexi eos, sicut et tu me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut uideant claritatem meam, quam dedisti mihi,quoniam dilexisti me ante constitutionem mundi. 25. Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, et hi cognouerunt, quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

XVIII. 1. Haec cum dixisset Jesus, exiuit cum discipulis suis trans torrentem fluminis Cedri, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse et discipuli eius. 2. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, ipsum locum, quia frequenter Jesus conuenerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas ergo cum accepisset a cohorte et a principibus sacerdotum et Farisaeis ministros, uenit illuc cum lanternis et facibus et armis. 4. Jesus autem sciens omnia, quae uentura erant super eum, processit, et dixit eis: quem quaeritis? 5. Responderunt ei: Jesum Nazoreum. Dicit eis: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo eos interrogauit Jesus: quem quaeritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazoreum. 8. Respondit Jesus;

dixi uobis, quia ego sum; si ergo quaeritis me, sinite hos abire, 9. ut impleretur sermo, quem dixit: quia, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum et percussit seruum principis sacerdotum, et abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium in uagina sua: calicem, quem dedit mihi pater, non uis bibam illum? 12. Cohors ergo et tribunus et ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum et ligauerunt, 13. et adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim socer Caiphae, qui erat princeps sacerdotum anni illius. 14. Erat autem Caifas, qui consilium dedit Judaeis, quia expedit unum hominem mori pro populo. 15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus et alius discipulus; discipulus autem ille erat notus principi sacerdotum et simul introiuit cum Jesu in atrium principis sacerdotum. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille alius, qui erat notus principi sacerdotum, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum. 17. Dixit ergo Petro illa ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis huius? Dicit ille: Non sum. 18. Stabant autem serui et ministri ad carbones, quia frigus erat; erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se. 19. Princeps ergo sacerdotum interrogauit Jesum de discipulis eius et de doctrina eius. 20. Respondit Jesus: Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judaei conueniunt, et in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? Interrogas eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt, quae dixerim ego. 22. Haec autem cum dixisset, unus de adstantibus ministris dedit palmam Jesu dicens: Sic respondes principi sacerdotum? 23. Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis? 24. Misit ergo eum Annas uinctum ad Caiphan pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans et califaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis eius es? Negauit ille et dixit: non sum. 26. Dixit unus ex seruis pontificis cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Non ego te uidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negauit, et statim gallus cantauit. 28. Adducunt Jesum ad Caiphan in praetorium. Erat autem mane et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha. 29. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras et dixit: quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? 30. Responderunt et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi traderemus eum. 31. Dicit Pilatus: Accipite eum, et secundum legem uestram iudicate de eo. Dixerunt ergo ei Judaei: Nobis non

licet interficere quemquam, 32. ut sermo Jesu impleatur, quem dixit, significans, qua morte moreretur. 33. Introiuit ergo iterum in praetorium Pilatus et uocauit Jesum et dixit illi: Tu es rex Judaeorum? 34. Respondit Jesus: A temetipso tu hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? 35. Respondit Pilatus: Numquid ego Judaeus sum? Gens tua et princeps sacerdotum tradiderunt te mihi, quid fecisti? 36. Respondit Jesus: Regnum meum non est de mundo hoc, si de mundo hoc esset regnum meum, ministri mei decertarent, ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego; ego ad hoc natus sum, et ad hoc ueni in hunc mundum, ut testimonium perhibeam ueritati; omnis, qui est ex ueritate, audit uocem meum. 38. Dicit ei Pilatus: quid est ueritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Judaeos et dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo uobis, ut unum dimittam in pascha uobis; ergo dimittam uobis regem Judaeorum? 40. Clamauerunt ergo omnes: Non hunc, sed Barabban; erat autem Barabbas latro.

XIX. 1. Tunc ergo adprehendit Pilatus Jesum et flagellis cecidit; 2. et milites ornatam coronam de spinis imposuerunt capiti eius et uestem purpuream circumdederunt eum, 3. et ueniebant ad eum et dicebant: Habe rex Judaeorum, et dabant ei palmas. 4. Exiuit itaque Pilatus foris et dicit eis: ecce adduco eum uobis foras, ut cognoscatis, quia non inuenio causam in eo. 5. Exiuit ergo Jesus foras habens spineam coronam et purpureum uestimentum et dixit eis: Ecce homo. 6. Cum ergo uidissent eum princeps sacerdotum et ministri, clamabant: crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos et crucifigite: ego enim non inuenio causam in eo. 7. Responderunt Judaei: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium se dei fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, 9. et introiuit in praetorium iterum et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus uero responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis, quoniam potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus: Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi esset tibi data desuper; propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. 12. Exinde quaerebat dimittere eum. Judaei autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittes, non es amicus caesaris. Omnis, qui regem facit se, contradicit caesari. 13. Pilatus ergo, cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum et sedit pro tribunali in locum, qui dicitur Lithostrotus, hebraeice autem Gennetha. 14. Erat autem parasceue paschae hora quasi sexta, et dicit Judaeis: Ecce rex uester. 15. Clamauerunt ergo illi: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: regem uestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi caesarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum, ut cruci eum figerent. 17. Susceperunt ergo Jesum et baiulans sibi crucem, exiit in eum locum, qui dicitur Calùariae locus, hebraeice Golgotha, 18. ubi eum crucifixerunt, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Jesum. 19. Scripsit autem et titulum Pilatus et posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus rex Judaeorum. 20. Hunc ergo titulum multi legerunt Judaeorum, quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus; et erat scriptum hebraeice, graece et latine. 21. Dicebant ergo Pilato principes Judaeorum: Noli scribere rex Judaeorum; sed quia dixit: rex sum Judaeorum. 22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. 23. Milites ergo cum crucifixissent Jesum, acceperunt uestimenta eius et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem. Erat autem tunica rudis desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de ea, cuius sit, ut scriptura impleatur: Diuiserunt uestimenta mea et in uestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt. 25. Stabant autem iuxta crucem Jesu mater eius et soror matris eius Maria Cleope et Maria Magdalene. 26. Cum uidisset autem Jesus matrem et discipulum adstantem, quem diligebat, dicit matri: Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit illam discipulus in sua. 28. Postea Jesus sciens, quia omnia consummata sunt, ut compleatur scriptura, dixit: Sitio. 29. Uas positum erat aceto plenum spongiam ergo plenam aceto perticae circumponentes obtulerunt ori eius. 30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. 31. Judaei ergo, quia cena pura erat, ut non remanerent in crucem corpora sabbato, (erat enim magnus dies illius sabbati,) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur crura eorum et tollerentur. 32. Uenerunt ergo milites, et illius quidem primi fregerunt crura et alterius, qui simul crucifixus erat cum eo. 33. Ad Jesum autem cum uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt crura eius, 34. sed unus militum lancea latus eius pupugit, et exiuit continuo sanguis et aqua. 35. Et qui uidit, testimonium perhibuit, et uerum est testimonium eius; et ille scit, quia uera dicit, ut et uos credatis. 36. Facta sunt enim haec, ut scrip-

tura impleatur: Ossa non confringetis ex eo; 37. et iterum alia scriptura dicit: Uidebunt in quem compunxerunt. 38. Post haec autem rogauit Pilatum Joseph ab Arimatia, qui et ipse discipulus erat Jesu, occulte autem propter metum Judaeorum, ut tolleret corpus Jesu, et permisit Pilatus. 39. Uenerunt ergo et tulerunt eum. Uenit autem et Nicodemus, qui uenerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam murrae et aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Jesu et ligauerunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Judaeis sepelire. 41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in hortu monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter parasceuen, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

XX. 1. Una autem sabbati uenit Maria Magdalena, cum adhuc tenebrae essent ad monumentum, et uidit lapidem sublatum a monumento. 2. Cucurrit ergo et uenit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum, quem amabat Jesus et dicit eis: Tulerunt dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt illum. 3. Exiuit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et ueniebant ad monumentum. 4. Currebant autem ipsi duo simul, ille alius discipulus praecucurrit citius Petro et uenit prior ad monumentum. 5. Et cum se inclinasset, et prospexisset, uidit posita lintheamina, non tamen introiuit. 6. Uenit ergo Simon Petrus sequens et intrauit in monumentum, et uidit lintheamina posita, 7. et sudarium, quod erat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in uno loco. 8. Tunc ergo introiuit et ille discipulus, qui uenerat primus ad monumentum et uidit et credidit, 9. nondum enim sciebant scripturam, quia oportet eum a mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli. 11. Maria autem sedebat ad monumentum plorans, et cum fleret, inclinauit se et prospexit in monumentum, 12. et uidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuit corpus Jesu. 13. Dicunt ei illi: mulier, quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt dominum meum, et nescio ubi eum posuerunt. 14. Haec cum dixisset, conuersa est retrorsum, et uidit Jesum stantem et non sciebat, quia dominus est. 15. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quaeris? illa existimans, quia hortulanus est, dicit ei: domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam. 16. Dicit ei Jesus: Maria, Et conuersa illa, dicit ei hebreice: rabboni, (quod interpraetatur: magister). 17. Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem; uade autem ad

fratres meos et dic eis: Ascendo ad patrem meum et patrem uestrum et deum meum et deum uestrum. 18. Uenit Maria Magdalene adnuntians discipulis, quia uidit Jesum et haec dixit. 19. Cum esset ergo sero die illa una sabbatorum et ostiis clausis, ubi erant discipuli inclusi propter metum Judaeorum, uenit Jesus et stetit in medio, et dicit eis: Pax uobis. 20. Et hoc cum dixisset, ostendit eis manus et latus suum, et gauisi sunt discipuli uiso Jesu. 21. Dicit ergo eis Jesus iterum: Pax uobis. Sicut me misit pater, et ego mitto uos. 22. Hoc cum dixisset, insufflauit et dicit eis: Accipite spiritum sanctum; 23. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum detinueritis, detenta erunt. 24. Thomas autem unus ex XII, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando uenit Jesus. 25. Dixerunt ergo ei ceteri discipuli: Uidimus dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in manibus eius figuram clauorum, et mittam digitum meum in locum clauorum et mittam manum meam in latus eius, non credam. 26. Post dies octo iterum erant discipuli intus et Thomas cum eis. Uenit Jesus, ianuis clausis, et stetit in medio et dixit: Pax uobis. 27. Deinde dicit Thomae: infer digitum tuum huc, et uide manus meas, et mitte manum in latus meum et noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas et dicit ei: Dominus meus et deus meus. 29. Dicit ei Jesus: quia uidisti me, credidisti; beati, qui non uiderunt et crederunt. 30. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. 31. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus Christus est filius dei, et ut credentes uitam aeternam habeatis in nomine eius.

XXI. 1. Postea manifestauit se iterum Jesus discipulis suis super mare Tiberiadis; manifestauit autem sic: 2. Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dicitur Didymus, et Natanael, qui erat a Cana Galileae, et fili Zebedaei, et alii discipuli eius duo. 3. Dicit eis Simon Petrus: Uado piscari. Dicunt ei: Uenimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in nauem, et illa nocte prendiderunt nihil. 4. Mane autem iam facto stetit Jesus in litore; non tamen cognouerunt discipuli, quia Jesus est. 5. Dicit ergo eis Jesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. 6. Dicit eis: Mittite in dextram partem nauis rete, et inuenietis. Miserunt ergo, et prae multitudine piscium etiam non poterant retia trahere. 7. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus: Dominus est. Simon itaque Petrus cum audisset, quia dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus), et misit se in mare. 8. Ceteri uero discipuli nauigio uenerunt, (non enim longe

erant a terram, sed quasi a gubitis CC.) trahentes retia piscium. 9. Ut ergo descenderunt in terram, uiderunt carbones incensos et piscem impositum et panem. 10. Dicit eis Jesus: Adferte ex piscibus, quos prendidistis. 11. Ascendit Simon Petrus et trahit rete plenum ad terram magnis piscibus CLIII. Et cum tanti essent, non est ruptum rete. 12. Dicit eis Jesus: Uenite, prandete. Nemo tamen discentium audebat interrogare eum: Tu, quis es? scientes, quia dominus est. 13. Uenit Jesus et accepit panem et dabat eis et piscem similiter. 14. Hoc iam tertio manifestauit se Jesus discipulis suis, postquam surrexit a mortuis. 15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Johannis diligis me? Dicit ei: Utique domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. 16. Iterum dicit ei: Simon Johannis, diligis me? Dicit ei: Etiam, domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce ouiculas meas. 17. Dicit ei tertio: Simon Johannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me? Dicit ei: Etiam, domine, tu scis omnia, tu nosti, quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas. 18. Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, praecingebas te et ambulabas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te praecinget et ducit, quo tu non uis. 19. Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. 20. Conuersus Petrus uidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit ad cenam super pectus eius, et dixit: domine, quis est, qui tradet te. 21. Hunc ergo cum uidisset Petrus, dicit ad Jesum: domine, hic autem quid? 22. Dicit ei Jesus: Sic uolo eum remanere, donec uenio, quid ad te? tu me sequere. 23. Exiuit ergo hic sermo aput fratres, quia discipulus ille non moreretur. Et non dixit ei Jesus: Non morietur, sed: sic eum uolo manere, donec uenio, quid ad te? 24. Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, et qui scripsit haec et scimus, quia uerum est testimonium eius. 25. Et alia quidem multa fecit Jesus, quae non sunt scripta in hoc libro, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos libros, qui scriberentur.

Evangelium sec. Johan. explicit in deo. Incipit sec. Lucan.

(Euangelium secundum Lucanum.)

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum, quae in nobis completae sunt, 2. sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi uiderunt et ministri fuerunt sermonis, 3. placuit et mihi et spiritu sancto adsecuto a principio omnibus diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. ut cognoscas eorum uerborum, de quibus eruditus es, ueritatem. 5. Fuit in diebus Herodis regis Judeae sacerdos quidam, nomine Zaccharias, de uice Auia, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen eius Elisabel. 6. Erant autem iusti ambo ante domium incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus dei sine quaerella, 7. et non erat illis filius, eo quod esset Elisabel sterilis, et ambo processi erant in diebus suis. 8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zaccharias in ordinem uicis suae ante deum secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, 9. ut incensum poneret, ingressus in templum domini, 10. et omnis multitudo orabat ora incensi. 11. Apparuit autem illi angelus stans a dextris altarii incensi, 12. et uidens Zaccharias, turbatus est, et timor cecidit super illum. 13. Et ait ad illum angelus dicens: Ne timeas, Zaccharia, quoniam obsecratio tua exaudita est, et uxor tua Elisabel pariet tibi filium, et uocabis nomen eius Johannen, 14. et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in natiuitate eius gaudebunt, 15. erit enim magnus coram domino, et uinum et siceram non bibet, et spiritu sancto replebitur ex utero matris suae, 16. et multos filios Istrahel conuertet ad dominum deum ipsorum, 17. et ipse praecedet ante illum in spiritu et uirtute Heliae, ut conuertat corda patrum in filios et incredibiles ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam. 18. Et dixit Zaccharias ad angelum: Unde hoc sciam? ego enim senex sum, et uxor mea processior in diebus suis. 19. Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adsisto ante dominum, et missus loqui at te et haec tibi euangelizare. 20. Et ecce eris tacens et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant propter hoc, quia non credi-

disti uerbis meis, quae implebuntur in tempore suo. 21. Et erat plebs expectans Zachariam et mirabantur eo quod tardaret . . . templo. 28. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognouerunt quod uisionem uiderit in templo. Et ipse erat adnuens illis et permansit mutus. 23. Et factum est, ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam. 24. Post hos autem dies concepit Elisabel uxor eius, et occultabat se mensibus quinque dicens: 25. Quid mihi hic fecit dominus in diebus, quibus respexit auferre obprobrium meum inter homines? 26. Eodem autem tempore missus et angelus Gabriel a domino in ciuitatem Galileae, cui nomen Nazareth. 27. ad uirginem Mariam desponsatam uiro, cui nomen erat Joseph de domo Dauid, et nomen uirginis Maria 28. Et ingressus angelus euangelizauit eam et dixit illi: dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. 29. Ipsa autem, ut uidit eum, mota est in introitu eius et erat cogitans, quod sic benedixisset eam. 30. Et ait ei angelus domini: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam aput deum, 31. et ecce concipies in utero, et paries filium et uocabis nomen eius Jesum. 32. Hic erit magnus et filius altissimi uocabitur, et dabit illi dominus deus sedem Dauid patris eius, et regnabit in domo Jacob in aeternum, 33. et regni eius non erit finis. 34. Dixit autem Maria: Ecce ancilla domini, contingat mihi secundum uerbum tuum. 35. Et respondens angelus dixit illi: Spiritus sanctus superuenit in te, et uirtus altissimi obumbrauit te; ideoquae quod nascetur sanctus uocabitur filius dei. 36. Et ecce Elisabel cognata tua et ipsa concepit filium in senecta sua, et hic mensis est sextus illi, quae uocatur sterilis. 37. Quia non est impossibile deo omne uerbum. 38. Et discessit ab illa angelus. 39. Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitate Judeae, 40. et intrauit in domum Zachariae et salutauit Elisabel. 41. Et factum est, ut audiuit salutationem Mariae Elisabel, exultauit infans in utero eius, et repleta est spiritu sancto Elisabel, 42. et exclamauit uoce magna dicens: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus uentris tui. 43. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me? 44. Ecce enim, ut facta est uox salutationis tuae in auribus meis, exultauit in gaudio infans in utero meo, 45. et beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a domino. 46. Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum, 47. et exultauit spiritus meus in deo salutari meo, 48. quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, 49. quia fecit mihi magna, qui potens est et sanctum nomen eius. 50. Et misericordia eius in saecula saeculorum timentibus eum. 51. Fecit potentiam in brachio suo, disparsit superbos mente corde ipsorum, 52. deposuit potentes de sede et exaltauit humiles. 53. Esurientes impleuit bonis et diuites dimisit inanes. 54. Suscepit Istrahel puerum suum memorari misericordiae. 55. Sicut locutus est ad patres nostros Abrahae et semini eius in saecula. 56. Mansit autem Maria cum illa mensibus tribus et reuersa est domi suae. 57. Elisabel autem impletum est tempus gignendi et genuit filium. 58. Et audierunt uicini et cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. 59. Et factum est in die octaba, ut uenirent et circumciderent puerum, et uocauerunt eum in nomine patris eius Zachariam. 60. Et respondens mater eius dixit: Non, sed uocabitur Johannes. 61. Et dixerunt ad illam: Nemo est in cognatione tua, qui uocetur hoc nomine. 62. Adnuebant autem patri eius, quem uellet uocari eum. 63. Et accepit pugillarem et scripsit dicens: Johannes est nomen eius. Et continuo resoluta est lingua eius, et omnes mirati sunt. Apertum est autem os eius et loquebatur benedicens deum. 65. Et factus est timor magnus super omnes uicinos eorum et in uniuersa montana Judeae, et diuulgabantur haec omnia uerba. 66. et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo dicentes: Quid utique erit puer iste; etenim manus domini cum illo est. 67. Et Zacharias impletus est spiritu sancto et prophetabat dicens. 68. Benedictus deus Istrahel, quia uisitauit et fecit redemptionem plebis suae, 69. et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui 70. sicut locutus est per os sanctorum suorum prophetarum, qui ab aeuo sunt. 71. Et liberauit nos ab inimicis nostris et de manu omnium, qui nos oderunt. 72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris et memorari testamenti sancti sui, 73. iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis, 74. ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi, 75. in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. 76. Et tu puer, propheta altissimi uocaueris; praeibis enim ante faciem domini parare uias eius, 77. ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum, 78. per uiscera misericordiae dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto, 79. inluminare iis, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. 80. Puer autem crescebat et confortabatur in spiritu, et erat in deserto usque in diem suum ad Istrahel.

II. 1. Factum est autem in diebus illis exiit edictum a caesare Augusto, ut profiteretur uniuersus orbis terrarum. 2. . . . professio

prima a praeside Siriae, Cyreno, 3. et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam ciuitatem. 4. Ascendit autem et Joseph a Galilaea de ciuitate Nazareth in Judaeam in ciuitatem Dauid, quae uocatur Bethlem, eo quod esset de domo et patria Dauid, 5. ut profiteretur cum Maria uxore sua pregnante. 6. Factum est autem, cum esset ibi, impleti sunt dies, ut pareret. 7. Et peperit filium primogenitum et pannis eum inuoluit et posuit in praesepio, quia locus non erat in diuersorio. 8. Pastores autem erant in illa regione uigilantes et custodientes uigilias noctis supra gregem suum. 9. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos, et claritas circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis: Nolite timere; ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni plebi, 10. quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. 12. Et huius hoc uobis signum inuenietis infantem in pannis inuolutum et positum in praesepio. 13. Et subito facta est multitudo exercitus caelestium laudantium deum et dicentium. 14. Gloria in altissimis deo et in terra pax hominibus bonae uoluntatis. 15. Et factum est, ut discessit ab illis angelus in caelum, pastores loquebantur ad inuicem et dixerunt: Transeamus usque Bethleem et uideamus hoc uerbum, quod factum est, quod dominus ostendit nobis. 16. Et uenerunt festinantes et inuenerunt Mariam et Joseph et infantem positum in praesepio. 17. Et cognouerunt de uerbo, quod dictum est illis de puero hoc. 18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. 19. Maria autem conserbabat omnia uerba haec, conferens in corde suo. 20. Et reuersi sunt pastores magnificantes et laudantes . . . in omnibus, quae audierant et uiderant, sicut dicta sunt ad illos. 21. Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur, uocatum est nomen eius Jesum, quod uocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur . . . 22. postquam impleti sunt dies purificationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, uti sisterent eum domino, 23. sicut scriptum est in lege domini: quia omne masculum adaperiens uuluam, sanctum domini uocabitur; 24. et ut darent ostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turtures aut duos pullos columbarum. 25. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen erat Symeon, et homo iste iustus et timoratus erat expectans consolationem Istrahel, et spiritus sanctus erat in ipso. 26. Responsum autem accepit ab spiritu sancto, non uisurum mortem, nisi prius uideret Christum dominum. 27. Et uenit in spiritu in templo. Et cum inducerent puerum Jesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem l . . . pro

eo, 28. et ipse accepit eum in manibus et benedixit deum et dixit: 29. Nunc dimitte seruum tuum domine secundum uerbum tuum in pace, 30. quia uiderunt oculi mei salutare tuum, 31. quod parasti ante faciem omnium populorum, 32. lumen ad reuelationem oculorum et gloriam plebis tuae Istrahel. 33. Et erat Joseph et mater eius mirantes super his, quae dicebantur de illo. 34. Et benedixit illos Symaeon et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce hic positus est in casum et resurrectionem multorum in Istrahel et in signum, quod contradicetur. 35. Et tuam ipsius animam pertransiet gladius, ut reuelentur multorum cordium cogitationes. 36. Et Anna prophetissa filia Fanuel de tribu Aser, haec processerat in diebus multis et uixerat annos cum uiro suo VII a uirginitate sua, 37. et haec uidua annorum LXXXIIII, quae non discedebat de templo, ieiuniis et obseruationibus seruiens nocte ac die. 38. Et haec, ipsa hora stans confitebatur domino et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Hierusalem. 39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilaeam in ciuitatem suam Nazareth. 40. Puer autem confortabatur et crescebat et implebatur sapientia et gratia dei erat cum illo. 41. Et ibant Joseph et Maria per omnes annos in Hierusalem in diem sollemni paschae. 42. Et cum facti essent illi anni XII, et ascendissent in Hierusolima secundum consuetudinem diei festi; 43. consummatisque diebus, cum redirent, remansit Jesus puer in Hierusalem, et non cognouit Joseph et mater eius, 44. existimantes illum esse in comitatu, uenerunt iter diei et requirebant eum inter cognatos et notos. 45. Et non inuenientes eum regressi sunt in Hierusalem quaerentes eum. 46. Et factum est post triduo inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius. 48. Et uiso illo expauerunt, et dixit mater eius ad illum: fili, quid fecisti nobis sic? dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: quid est quod me quaeritis? 49. nescitis, quia in propria patris mei oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt uerbum, quod locutus est ad illos. 51. Et uenit Nazareth et erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia uerba haec in corde suo. 52. Et Jesus proficiebat aetate et sapientia et gratia aput deum et homines.

III. 1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberi caesaris, procurante Pontio Pilato Judaeae, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Itureae et Traconidis regionis, et

Lysania Abilianae tetrarcha, 2. sub sacerdotum principibus Anna et Caipha, factum est uerbum dei super Johannen Zachariae filium in deserto. 3. Et uenit in omnem regionem Jordanis praedicans baptismum paenitentiae, 4. sicut scriptum est in libro sermonum . . . ae prophetae: Uox clamantis in deserto: parate uiam domini, rectas facite semitas eius; 5. omnis uallis implebitur, et omnis collis humiliabitur, et erunt praua in directa, et aspera in uias planas, 6. et uidebit omnis caro salutare dei. 7. Dicebat ergo ad turbas, quae exiebant, ut baptizarentur coram ipso: Generatio uiperarum, quis ostendit uobis fugere ab ira uentura? 8. Facite ergo fructus dignos paenitentiae, et ne coeperitis dicere: patrem habemus Abraham. Dico autem uobis, quia potest deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. 9. Iam autem securis ad radicem arborum posita est; omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur et (in) igne mittetur. 10. Et interrogauerunt illum turbae et dixerunt ei: quid faciemus, ut uiuamus? 11. Respondens autem dixit illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat. 12. Uenerunt autem et publicani, ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, et nos quid faciemus? 13. Ille dixit: Nihil amplius exigatis, quam quod constitutum est uobis. 14. Interrogauerunt autem illum et milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis uestris. 15. Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Johannen, ne forte ipse esset Christus, 16. respondens ait omnibus: Ego quidem uos aqua baptizo in paenitentiam; ueniet autem fortior me, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse uos baptizauit in spiritu sancto et igni; 17. habens uentilabrum in manu eius et purgauit aream suam et congregauit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18. Multa quidem et alia exhortans euangelizabat populum. 19. Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis, quae fecit Herodes, 20. adiecit hoc super omnia inclusit Johannen in carcere. 21. Factum est autem, cum baptizatus esset omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est caelum, 22. et descendit spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum, et uox de caelo facta est: Filius meus tu es, ego hodie genui te. 23. Et ipse Jesus erat incipiens fere annorum . . . quod uidebatur et dicebatur esse filius Joseph, 24. qui fuit Eli, qui fuit Matthei, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, 25. qui fuit Jannae, qui fuit Joseph, qui fuit Naum, qui fuit Sedi, qui fuit Maggae, 26. qui fuit Mattathiae,

qui fuit Semein, qui fuit Josech, qui fuit Judae, 27. qui fuit Jonae, qui fuit Resae, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salatiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, 28. qui fuit Addi, qui fuit Cosae, qui fuit Hermadam, 29. qui fuit Er, qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mattha, 30. qui fuit Symae, qui fuit Judae, qui fuit Joseph, 31. qui fuit Jonae, qui fuit Eliachim, qui fuit Enan, qui fuit Mattatha, qui fuit Natan, 32. qui fuit Dauid, qui fuit Jessae, qui fuit Obeth, qui fuit Boos, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Joaram, qui fuit Esron, 34. qui fuit Fares, qui fuit Judae, qui fuit Jacob, qui fuit Isac, qui fuit Abraham, qui fuit . . . 35. qui fuit N . . . qui fuit Seruc, qui fuit Ragau, qui fuit Phalec, qui fuit Eber, 36. qui fuit Salec, qui fuit Cainan, qui fuit Arfaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, 37. qui fuit Lamech, qui fuit Metusale, qui fuit Enoc, qui fuit Jareth, 38. qui fuit Malaleel, qui fuit Aenan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit filius dei.

IV. 1. Jesus autem plenus spirito sancto reuersus est ab Jordanen, 2 et agebatur in deserto diebus XL., temptabatur a diabulo; et nihil manducabit diebus illis, et consummatis illis diebus esuriit. 3. Dixit autem illi diabolus: Si filius dei es, dic lapidi huic, ut fiat panis. 4. Et respondit ad illum Jesus et dixit: Scriptum est: quia non in pane solo uiuet homo, sed in omni uerbo dei. 9. Et duxit illum in Hierusalem et statuit illum super pinnam templi et dixit illi: Si filius dei es, mitte te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim, quod angelis suis mandabit de te, ut conseruent te et in manibus tollant te 11., ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12. Et respondens dixit illi Jesus: Scriptum est: non tentabis dominum deum tuum. 5. Et duxit illum diabolus et ostendit illi omnia regna orbis terrae in momento temporis 6. et ait ad illum: Tibi dabo potestatem hanc uniuersam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt et cui uolo, do eam, 7. tu ergo si procidens adoraueris ante me, erunt omnia tua haec. 8. Et respondens dixit illi Jesus: Vade post me satanas! scriptum est enim: dominum deum tuum adorabis et illi soli seruies. 13. Et consummata omni temptatione diabolus recessit ab illo usque ad tempus. 14. Et egressus est Jesus in uirtute spiritus in Galilaeam, et fama eius exiit per uniuersam regionem de illo. 15. Et ipse docebat in synagogis et magnificabatur ab omnibus. 16. Et uenit in Nazareth ubi erat nutritus et intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam et surrexit legere. 17. Et traditus est illi liber prophetae Eseiae, et

ut reuoluit librum, inuenit locum, ubi scriptum erat: 18. Spiritus domini super me; propterea u . . . . . me euangelizare pauperibus misit me, 19. praedicare captiuis remissionem et caecis uisum, remittere confractos in remissionem, praedicare annum domini acceptum et diem redditionis. 20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministris et sedit. Et omnium in synagoga erant oculi intendentes in eum. 21. Coepit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est haec scriptura in auribus uestris. 22. Et omnes testimonium illi reddebant et mirabantur in uerbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius, et dicebant: nonne hic est filius Joseph? 23. Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum; quanta audiuimus facta Cafarnaum, fac et hic in patria tua. 24. Dixit autem Jesus: Amen dico uobis: quod nemo propheta acceptus est in patria sua. 25. In ueritate dico uobis: Multae uiduae fuerunt in diebus Eliae in Istrahel, quando clausum est caelum annis tribus et mensibus sex, cum facta est f . . . magna in omni terra, 26. et ad nullam illarum missus est Elias, nisi Sarapta Sidoniae ad mulierem uiduam. 27. Et multi leprosi erant in Istrahel sub Elisaeo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. 28. Et repleti . . . . omnes in synagoga ira haec audientes. 29. Et surrexerunt et eiecerunt illum extra ciuitatem, et deduxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas eorum erat aedificata, ut praecipitarent illum. 30. Ipse autem transiit per medium illorum et abiit. 31. Et descendit in Cafarnaum ciuitatem Galileae, ibique docebat illos sabbatis. 32. Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo eius. 33. Et erat in Synagoga homo habens daemonium immundum et exclamauit uoce magna dicens: 34. Quid nobis et tibi Jesu Nazarene? quid ante tempus uenisti perdere nos? scio te qui sis, tu es sanctus dei. 35. Et increpauit illum Jesus dicens: Ommutesce et exi ab illo. Et cum proiecisset . . . . . daemonium exiit ab illo nihil illum nocens. 36. Et factus est pauor magnus et conloquebantur ad inuicem dicentes: quod est hoc uerbum, quod in potestate et uirtute imperat immundis spiritibus et exeunt? 37. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis illius. 38. Surgens autem de synagoga, intrauit in domum Simonis et Andreae; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogauerunt illum pro ea. 39. Et stans super illam, imperabit febri et remisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis. 40. Cum sol autem occidisset, omnes, qui habebant infirmos magnis languoribus, ducebant illos ad eum. Ad ille singulis manum imponens curabat eos. 41. Exiebant autem daemonia multa clamantia et dicentia: Tu es filius dei; et increpans non sine-

bat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. 42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbae requirebant eum, et uen . . . usque ad ipsum et retinebant illum, ut ab ipsis non discederet. 43. Quibus ille ait: Quia et aliis ciuitatibus oportet me euanlizare regnum dei, quia ideo missus sum. 44. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.

V. 1. Factum est autem, cum turbae inruerunt in eum, ut audirent uerbum dei, et ipse stabat secus stagnum Genezaret. 2. Uidit duas naues stare secus stagnum; piscatores autem descendebant et lauabant retia. 3. Ascendens autem in unam nauem, quae erat Simonis, rogauit eum, ut inducerent ad terram aliquantulum. Et sedens docebat de nauicula turbas. 4. Ut cessauit autem loqui, dixit ad Simonen: Duc in altum et laxate retia uestra in capturam. 5. Et respondens Simon dixit illi: Praeceptor, per totam noctem laborantes, nihil coepimus, sed in uerbo tuo laxabo retia. 6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebantur autem retia eorum. 7. Et adnuerunt sociis, qui erant in alia naui, ut uenirent et adiuuarent eos. Et impleuerunt ambas nauiculas, ita ut mergerentur. 8. Quod cum uideret Simon procidit ad genua Jesu dicens: Exi a me domine, quia homo peccator sum. 9. Miratio enim habebat . . . et omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam coeperant; 10 similiter autem Jacobus et Johannes filii Zebedaei, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere, ex hoc iam eris homines uiuificans. 11. Et subductis ad terram nauiculis relictis omnibus secuti sunt eum. 12. Et factum est, cum esset in una ciuitatum, ecce uir plenus lepra, et ipse procidens in faciem rogabat eum dicens: domine si uis, potes me mundare. 13. Et extendens manum tetigit illum dicens: Uolo, mundare. Et confestim lepra eius discessit ab illo; 14. et ipse praecepit illi nemini diceret, sed uade, ostende te sacerdotibus et offers pro emundatione tua, sicut praecepit Moyses . . . ut sint in testimonium . . . uobis. 15. Perambulat autem magis sermo de illo, et conueniebant turbae multae, ut audirent et curarentur ab infirmitatibus suis. 16. Ipse autem secedebat in deserto et orabat. Et factum . . . una dierum, et ipse erat docens. Et erant Pharisaei sedentes et legis doctores qui uenerant ex omni castello Galilaeae et Judeae et Hierusalem, et uirtus erat domini ad sanandum eos. 18. Et ecce uiri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus; et quaerebant eum inferre et ponere ante eum. 19. Et non inuenientes qua parte illum inferrent prae turba, ascenderunt supra tectum et discoperuerunt tectum et summi-

serunt illum cum lecto in medio ante Jesum. 20. Quorum ut uidit fidem, dixit homini: Remissa sunt tibi peccata tua. 21. Et coeperunt cogitare scribae et Pharisaei in cordibus suis dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? quis potest dimittere peccata nisi solus deus? 22. Ut cognouit autem Jesus cogitationes eorum, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus uestris? 23. Quid est facilius dicere: dimissa sunt tibi peccata, aut dicere: surge et ambula? 24. Ut sciatis autem, quia filius hominis potestatem habet super terram dimittere peccata, ait paralytico: tibi dico, surge et tolle lectum tuum et uade in domum tuam. 24. Et confestim surgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat, et abiit in domum suam magnificans deum. 26. Et stupor adpraehendit omnes, et magnificabant deum. Et repleti sunt timore dicentes: quia uidimus mirabilia hodie. 27. Et post haec exiit Jesus et uidit publicanum nomine Leui sedentem ad teloneum, et ait illi: Sequere me. 28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. 29. Et fecit illi conuiuium magnum in domum suam, et erat turba multa publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 30. Et murmurauerunt Pharisaei et scribae eorum dicentes ad discipulos eius: quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit? 31. Et respondens Jesus dixit ad illos: Non egent, qui sani sunt, medicum, sed qui male habent. 32. Non ueni uocare iustos, sed peccatores in paenitentiam. 33. Ad illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Johannis ieiunant frequenter, Pharisaeorum obsecrationes faciunt, tui autem discipuli edunt et bibunt? 34. Quibus ipse ait: Numquid possunt filii sponsi ieiunare, quandiu cum illis est sponsus? 35. Uenient autem dies, cum auferetur ab illis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus. 36. Dixit autem et similitudinem ad illos talem: quia nemo commissuram a uestimento nouo in uestimento ueteri; alioqin et nouum rumpit ex ueteri, non conuenit commisura a nouo. 37. Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres, alioquin rumpit uinum nouum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt: 38. sed uinum nouum in utres nouos mittunt, et utrique conseruantur.

VI. 1. Factum est autem in sabbato, cum transiret per segetes, et coepissent discipuli . . . uellere spicas et manducarent, confricantes ea manibus suis; 2. aliqui autem Pharisaeorum dicebant ad eos: quid facitis sabbatis, quod non licet? 3. Et respondens dixit illis Jesus: Nec legistis, quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse, et qui cum eo erant? 4. Quomodo intrauit in domum dei et panes propositionis sumpsit et manducauit et dedit eis, qui secum erant, quos non licebat

manducare, nisi solis sacerdotibus? 5. Et dicebat illis: quia dominus est filius hominis etiam sabbati. 6. Factum est autem alio sabbato, ut intraret in synagogam et doceret. Et erat homo manum habens aridam dexteram. 7. Obseruabant autem scribae et Pharisaei, si sabbato curaret, ut inuenirent, quemadmodum accusarent illum. 8. Ipse autem sciens cogitationes eorum ait homini illi, qui habebat manum aridam: surge et sta in medio; et surgens stetit. 9. Ait autem ad illos Jesus: Interroga . . . licet sa . . . benefacere an male, animam saluam facere, an perdere? 10. Et circumspectis illis omnibus in ira, dixit homini: Extende manum tuam; et extendit, et restituta est manus eius sicut alia. 11. Ipsi autem . . . ti sunt . . . itate et conloquebantur ad inuicem, quidnam facerent de Jesum. 12. Factum est autem in illis diebus, exiit in monte orare, et erat pernoctans in oratione dei. 13. Et cum dies factus esset, uocauit ad se discipulos suos et elegit XII ex ipsis, quos et apostolos nominauit. 14. Simonem, quem cognominauit Petrum, et Andream fratrem eius, et Johannem et Jacobum et Philippum, 15 et Bartholomeum et Mattheum et Thomam, et Jacobum Alphei et Simonem, qui uocabatur Zelotes, 16 et Judam Jacobi et Judam, qui fuit proditor. 17. Et descendit cum illis et stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis ab omni Judea et Hierusalem et trans fretum et ma . . . Tyrii et Sidonis, 18. qui uenerant ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis; et qui uexabantur ab spiritibs immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quaerebant eum tangere, quia uirtus de illo exiebat et sanabat omnes . . . 20. eleuatis oculis in discipulis suis dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnum dei. 21. Beati qui nunc esuriunt et sitiunt, quia ipsi saturabuntur. Beati, qui nunc fletis, quoniam ridebitis. 22. Beati eritis cum uos oderint homines, et cum separabunt uos, et cum eicient et exprobrabunt nomen uestrum, tamquam malum propter filium hominis. 23. Gaudete in illa die et exultate, ecce enim merces uestra copiosa est in caelo; secundum haec enim faciebant et prophetis patres eorum. 24. Uerumtamen uae uobis diuitibus, quia habetis consolationem uestram. 25. Uae uobis, qui saturati estis, quia esurietis. Uae uobis, qui deridetis, quia lugebitis et flebitis. 26. Uae uobis, cum benedixerint omn . . . nes; secundum haec et faciebant et pseudoprophetis patres eorum. 27. Sed uobis dico, qui auditis: diligite inimicos uestros, bene facite his, qui odiunt uos. 28. Benedicite maledicentes uos, orate pro calumniantibus uos. 29. Et qui te percusserit in maxillam, praebe ei et alteram. Et eum, qui auferet tibi tunicam, et palleum noli prohibere. 30. Omni petenti te tribue, et qui auferet a te, quae tua sunt, noli

prohibere. 31. Et prout uultis ut faciant uobis homines, facite illis et uos similiter. 32. Et si diligitis eos, qui uos diligunt, quae uobis gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt? 33. Et si benefeceritis his, qui uobis benefaciunt, quae uobis erit gratia? nam et peccatores haec faciunt. 34. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis uos recipere, quae gratia est uobis? nonne et peccatores peccatoribus faenerant et repiciant. 35. Uerum tamen amate inimicos uestros et benefacite mutuum date, nihil desperantes, et erit merces uestra multa, et eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super gratos et malos. 36. Estote misericordes, sicut et pater uester miseretur. 37. Nolite iudicare, et de uobis non iudicabitur; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite et dimittemini. 38. Date et dabitur uobis: mensuram bonam, confertam, conmotam, supereffluentem dabunt in sinum uestrum. Eadem mensuram, qua metitis, metietur uobis. 39. Dicebat autem illis et similitudinem istam: Numquid potest caecus caeco ducatum praebere? nonne ambo in foueam cadent? 40. Non est discipulus super magistrum; perfectus autem erit, ut sit sicut magister eius. 41. Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quae in oculo tuo est, non consideras. 42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo, sine, eiciam festucam de oculo tuo, et ecce in oculo tuo trabis subiacet? Hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, et tunc respicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. 43. Non est . . . arbor bona, quae fecit fructus malos, neque iterum arbor mala faciens fructus bonos. 44. Unaquaeque arbor ex fructu suo cognoscetur. Neque legunt de spinis uuas, neque de rubo uindemiant uuam. 45. Bonus enim homo de bono thensauro cordis sui profert bonum, et malus de malo thensauro proferet mala. Ex abundantia enim cordis os eius loquitur. 46. Quid autem uocatis me domine, domine, et non facietis quae dico? 47. Omnis, qui uenit ad me et audit sermones meos hos et facit eos, ostendam uobis cui similis est: 48. similis est homini aedificanti domum, qui fodit in altum et posuit fundamenta supra petram; inundantia autem facta, allisit flumen domui illi, et non potuit eam mouere; fundata enim erat super petram. 49. Nam qui audit et non facit, similis est homini, aedificanti domum suam supra harenam sine fundamento; allisit flumen domui illi, et continuo concidit, et facta est ruina domus . . . magna.

VII. 1. Et factum est, cum implesset omnia uerba in aures plebis, intrauit Cafarnaum. 2. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus, qui illi erat praetiosus. 3. Et cum audisset

de Jesu, misit se . . . Judaeorum rogans eum, ut ueniens saluaret seruum eius. 4. Ad illi uenientes ad Jesum rogabant eum sollicite dicentes: quia dignus est, ut hoc illi praestes; 5. diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse aedificabit nobis. 6. Jesus autem abiit cum eis. Et cum iam longe esset a domo, misit ad illum centurio amicos suos dicens: domine, noli te uexare; non enim dignus sum, ut sub tecto meo intres; 7. sed dic uerbo, et sanabitur puer meus. 8. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: uade, et uadit et alio: ueni, et uenit, et seruo meo: fac hoc, et facit. 9. Audiens autem haec Jesus, miratus est, et conuersus sequentibus se dixit: Dico uobis: in nullo tantam fidem . . . in Istrahel. 10. Et reuersi domum, qui missi fuerunt, inuenerunt seruum sanum. 11. Et factum est deinceps ibat in ciuitatem quae uocatur Naim, et ibant cum illo discipuli eius multi et turba copiosa. 12. Et factum . . . m apropinquaret portae ciuitatis, et ecce efferebatur defunctus filius unicus matris suae, et haec uidua erat, et turba multa cum illa; 13. quam cum uideret dominus, misertus est super eam et dixit illi: Noli flere. 14. Et accessit et tetigit loculum (hi autem, qui portabant, steterunt), et ait: Adulescens, tibi dico: surge. 15. Et resedit, qui erat mortuus et coepit loqui; et dedit illum matri eius. 16. Accepit autem timor magnus omnes, et magnificabant deum dicentes: quod propheta magnus surrexit in nobis, et quia uisitauit deus plebem suam in bono. 17. Et exiit hic sermo in uniuersa Judaea et omni confinio regionis illius de eo. 18. Et nuntiauerunt Johanni discipuli eius de omnibus his. 19. Et conuocauit duos Johannes de discipulis suis . . . ad Jesum . . . Tu es, qui uenturus es, an alium expectamus? 20. Aduenientes autem ad eum uiri dixerunt: Johannes misit nos Baptista ad te dicens: Tu es, qui uenturus es, an alium expectamus? 21. In ipsa hora curabat multos a languoribus et plagis et spiritibus immundis et caecis multis donauit uisum. 22. Et respondens dixit illis: Ite, nuntiate Johanni, quae uidistis et audistis: Caeci uident, clodi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, 23. et beatus est, qui in me non fuerit scandalizatus. 24. Et cum discessissent nuntii illi Johannis, coepit dicere ad turbas de Johanne: Quid existis in desertum uidere? Arundinem a uento moueri? 25. Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce, qui in ueste praetiosa sunt et in deliciis, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis uidere? prophetam? Utique dico uobis, et plus quam prophetam. 27. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce . . . ange . . . ante faciem tuam, qui

praeparauit uiam tuam ante te. 28. Dico autem uobis: Maior inter natos mulierum Johanne Baptista nemo est. Nam qui minor est in regno dei, maior est illo. 29. Et omnis populus audiens, et publicani . . . auerunt deum baptizati baptismum Johannis. 30. Pharisaei autem et legisperiti consilium dei spraeuerunt in semetipsos non baptizati. 31. Cui similes dicam ergo homines huius generationis? 32. similes sunt pueris sedentes in foro et loquentes ad inuicem dicentes: Cantauimus uobis et non saltastis; lamentauimus uobis, et non plorastis. 33. Uenit enim Johannes Baptista, neque manducans, neque bibens; et dicitis: daemonium habet. 34. Uenit filius hominis manducans et bibens, et dicitis: Ecce homo deuorator et bibens uinum, publicanorum et peccatorum amicus. 35. Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis. 36. Rogauit autem illum quidam Pharisaeus, ut manducaret cum . . . Et ingre . . . domum Pharisaei dicubuit. 37. Et ecce mulier in ciuitate, quae erat peccatrix, ut cognouit, quod recubuit in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti, 38. et stans retro secus pedes eius lacrymis rigabat pedes . . . et capillis capitis sui tergebat et osculabatur pedes eius et unguebat unguento. 39. Uidens autem Pharisaeus qui uocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quae et qualis mulier est, quae tangit eum, quia peccatrix est. 40. Et respondens Jesus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. Ad ille ait: Magister, dic. Dixit ergo Jesus: 41. Erant duo debitores cuidam faeneratori; unus debebat denarios D, alius L. 42. Non habentibus autem illis, unde redderent, donauit utrisque. Quis ergo eum plus dilexit? 43. Respondens Simon dixit: Aestimo, quia is, cui plus donauit. Ad ille dixit ei: Recte iudicasti. 44. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Uides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam . . . dibus mihi non dedisti; haec autem lacrymis suis rigauit pedes meos et capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti; haec autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. 46. Oleo non uncxisti caput meum; haec autem unguento uncxit. 47. Propter quod dico tibi: Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48. Dixit autem Jesus ad eam: Mulier, remissa sunt ei peccata. 49. Et coepit, qui simul recumbebant, dicere intra se: Quis est, qui etiam peccata remittit? 50. Dixit Jesus ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, uade in pace.

VIII. 1. Et factum est deinceps et ipse iter faciebat per ciuitates et castella praedicans et euangelizans regnum dei et XII. discipuli cum illo. 2. Et mulieres, quae erant curatae ab spiritibus immundis et infirmitatibus: Maria, quae uocatur Magdalene, a quo daemonia VII. exierant, 3. et Johanna, uxor Chusae, procuratoris Herodis, et Susanna et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis. 4. Cum ergo turba conuenisset et de ciuitatibus aduenirent, dixit similitudinem ad illos talem: 5. Ecce exiit qui seminat seminare semen suum; et dum seminat, aliut cecidit secus uiam, et conculcatum est et uolucres illud comederunt: 6. Et aliud cecidit supra terram, et natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliut cecidit inter spinas, et simul exhortae spinae suffocauerunt illut. 8. Et aliud cecidit in terram bonam et natum fecit fructum centuplum. Haec dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. 9. Interrogauerunt autem eum discipuli, quae esset haec parabola? 10. Quibus ipse dixit: Uobis datum est nosse mysterium regni dei; ceteris autem in parabolis loquor, ut uidentes non uideant, et audientes non intellegant. 11. Est autem haec parabola talis: Semen est uerbum dei; 12. qui autem secus uiam seminati sunt, hi sunt, qui audiunt uerbum dei; uenit autem diabolus et tollit . . . de illorum . . . uerbum, ne credentes salui fiant. 13. Nam qui supra petram, hi sunt, qui cum audierint uerbum, cum gaudio recipiunt illud, et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore temptationis recedunt. 14. Quod autem in spinis cecidit, hi sunt, qui audiunt et a solicitudinibus et diuitiis et uoluptatibus uitae euntes, simul suffocantur et non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono audientes uerbum retinent, et fructum adferent per patientiam. 16. Nemo autem accendit lucernam et ponit sub modio, sed supra candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. 17. Non enim est occultum, quod non manifestetur, et nec absconsum, nisi cognoscatur et in palam ueniat. 18. Uidete, quomodo audiatis? Qui enim habet, dabitur illi, et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. 19. Uenerunt autem ad illum mater et fratres eius et non poterant adire ad eum prae . . . Nunciatum . . . autem illi, 20. quia mater tua et fratres tui stant foris, uolentes te uidere. 21. Qui respondens dixit ad eos: Mater et fratres mei hi sunt, qui uerbum dei audiunt et faciunt. 22. Factum est autem in una dierum, et ipse ascendit in nauiculam, et discipuli eius, et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum; et leuaberunt. 23. Nauigantibus autem illis obdormiit, et descendit procella uenti, et implebatur a fluctibus nauicula, et periclitabantur. 24. Accedentes autem suscitauerunt eum dicentes: Praeceptor, perimus. Ad ille surgens imperauit uento et tempestati aquae et cessaue-

runt, et facta est tranquillitas magna. 25. Dixit autem illis: Ubi est fides uestra? Et timentes mirati sunt ad inuicem dicentes: quis est hic, quod mari et uentis imperat, et obediunt imperio eius? 26. Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quae est contra Galilaeam. 27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi uir quidam de ciuitate . . . habebat daemonium temporibus multis et uestimentum non induebatur neque in domo manebat, sed in monumentis. 28. Is ut uidit Jesum, procidit ante illum et exclamans uoce magna dixit: Quid mihi et tibi Jesu fili dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 29. Praecipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus rapuerat illum, nam uinctus catenis et compedibus custodiebatur et ruptis uinculis agebatur a daemonio in loca deserta. 30. Interrogauit autem illum Jesus: Quod tibi nomen est? Ad ille dixit: Legio, quia multi sumus. 31. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium, et rogauerunt illum, ut in illos irent; et permisit illis. 33. Exierunt ergo daemonia ab homine et intrauerunt in porcos, et impetu abiit grex per praeceps in stagnum et suffocati sunt. 34. Uidentes autem, qui pascebant, quod factum est, fugerunt et nuntiauerunt in ciuitatem et in uillas. 35. Exierunt autem uidere, quod factum est et uenerunt ad Jesum et inuenerunt hominem sedentem, a quo daemonia exierant, uestitum ac sanae mentis ad pedes eius et timuerunt ualde? 36. Nuntiauerunt autem illi, qui uiderant, quomodo saluus factus est, qui daemonia uexabatur. 37. Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut discederet ab ipsis, quia timore magno tenebantur. Ipse autem ascendens nauem, reuersus est. 38. Et rogabat illum uir, a quo daemonia exierant, ut cum ipso esset; dimisit autem illum dicens: 39. Redi domum et narra, quanta tibi dominus fecerit. Et abiit per uniuersam ciuitatem, praedicans quanta Jesus fecit illi. 40. Factum est autem, cum redisset Jesus, excepit illum turba; erant enim omnes expectantes illum. 41. Et ecce uenit uir, cui nomen Iairus, et ipse princeps synagogae erat, et cecidit ad pedes Jesu rogans eum, ut intraret in domum eius. 42. Qu . . . unica erat . . . li fere annorum XII., et haec moriebatur; et contigit, dum iret Jesus, praemebat eum populus. 43. Et mulier quaedam erat in fluxu sanguinis ab annis XII., quae in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari, 44. accessit retro et tetigit uestimenti eius fimbriam, et confestim stetit fluxus sanguinis eius. 45. Et ait Jesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus et qui cum illo erant: Praeceptor, turbae te comprimunt tam magnae, et dicis:

quis me tetigit? 46. Ad Jesus dixit: Tetigit me aliquis, nam et ego cognoui uirtutem de me exisse. 47. Uidens autem mulier, quia non latuit illum, uenit timens et procidit ante pedes illius, et ob quam causam tetigerit illum, indicabit coram omnibus, et quemadmodum confestim sanata est. 48. Ad ipse dixit illi: Filia, fides tua te saluam fecit; uade in pace. 49. Adhuc illo loquente, uenit a principe synagogae dicens ei, quia mortua est filia . . . noli uexare. 50. Jesus autem audito hoc uerbo, ait patri puellae: Noli timere, crede tantum, et salua erit. 51. Et cum uenisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum et Johannem et Jacobum et patrem et matrem puellae. 52. Flebant autem omnes et plangebant illam. Ad ille dixit: Nolite flere, non est mortua, sed dormit. 53. Et deridebant eum scientes, quod mortua esset. 54. Ipse autem tenens manum eius clamauit dicens: puella, surge. 55. Et conuertit spiritum eius, et surrexit continuo; et iussit illi dari manducare. 56. Et stupuerunt parentes eius, quibus praecepit, ne alicui dicerent, quod factum est.

IX. 1. Conuocatis autem XII. discipulis suis dedit illis uirtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. 2. Et misit illos praedicare regnum dei et sanare infirmos. 3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in uia neque uirgam, neque peram, neque calciamenta, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas . . . .is. 4. Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, et inde proficiscimini. 5. Et quicumque non receperint uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem uestrum de pedibus excutite in testimonium supra illos. 6. . . . . autem . . . . per castella et ciuitates euangelizantes et curantes. 7. Audiuit autem Herodes tetrarcha, quaecumque erant facta, et consternabatur, eo quod diceretur a quibusdam, 8. quod Johannes surrexit a mortuis, a quibusdam autem, quod Helias apparuit, ab aliis autem, quod propheta unus de antiquis surrexit. 9. Ait autem Herodes: Johannen ego decollaui. Hic quis est, de quo ego audio talia? Et quaerebat illum uidere. 10. Et reuersi apostoli, narrauerunt illi, quaecumque fecerant, et adsumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, quod est Betsaida. 11. Quod cum cognouissent turbae, secuti sunt illum, et excepit illos et loquebatur illis de regno dei, et eos, qui cura indi . . . . 12. sanabat . . . . autem coeperat declinare. Et accesserunt ad eum XII. discipuli et dixerunt illi: Dimitte turbam, ut eant circa castella, et uillas et reficiant se et inueniant escas; quia hic in loco deserto sumus. 13. . . . . autem ad . . . . date illis manducare uos. Ad illi dixerunt: Non sunt nobis

plus quam quinque panes et duo pisces, nisi nos eamus et emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant enim fere uiri quinque milia. Ait autem ad discipulos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. 15. Et ita fecerunt. Et discubuerunt omnes. 16. Acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in caelum et benedixit super illos et fregit et distribuit discipulis, ut ponerent ante turbas. 17. Et manducauerunt et saturati sunt. Et sublatum est, quod superfluit illis fragmentorum cophinos XII. 18. Et factum est, cum solus esset oraus, erant autem et cum illo discipuli et interrogauit i . . . . quem . . . . dicunt esse turbae. 19. Ad illi responderunt ei et dixerunt: Johannem Baptistam; alii autem Helian, alii quia propheta unus de prioribus resurrexit. 20. Dixit autem illis: Uos autem me quem dicitis esse? Respondens . . . Petrus . . . . dei . . . . 21. Ille increpans illos praecepit, ne cui haec dicerent dicens: 22. quod oportet filium hominis multa pati et reprobari a principibus sacerdotum et scribis et occidi et post dies tres resurgere. 23. Dicebat autem ad omnes: Si quis uult ad me uenire, abneget se ipsum et sublata cruce sua sequatur me. 24. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet illam, nam qui perdiderit animam suam propter me, ille saluam faciet illam. 25. Quid enim prodest homini, si lucretur uniuersum mundum, se autem perdat et detrimentum faciat? 26. Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum uenerit in maiestate sua et pa . . . . sanctorum angelorum. 27. Dico autem uobis: uere aliqui sunt hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei. 28. Factum est autem post haec uerba, fere post dies octo adsumpsit Petrum et Johannem et Jacobum et ascendit in monte, ut oraret. 29. Et dum orat, facta est species adspectus eius alba refulgens. 30. Et ecce duo uiri loquebantur cum illo. 31. Erant autem Moyses et Helias uisi in maiestate et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem. 32. Petrus uero, et qui cum illo, erant grabati a somno. Et euigilantes uiderant maiestatem eius et duos uiros, qui stabant cum illo. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus: magister, bonum est nos hic esse, et faciamus tabernacula tria, unum tibi et unum Moysi et unum Heliae, nesciens, quid diceret. 34. Haec autem illo loquente facta est nubs et inumbrabauit eos, et timuerunt. Et intrantibus illis in nube u . . . . est de . . . . 35. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. 36. Et dum fit uox, inuentus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt et nemini nihil dixerunt in illis diebus ex his, quae uiderant. 37. Factum est autem per diem descendentibus illis de

monte, occurrit illi turba multa. 38. Et ecce uir de turba exclamauit dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi; 39. et ecce spiritus adprehendit illum et subito clamat et elidit et dissipat eum cum spuma et uix discedit dilanians eum, 40. et rogaui discipulos tuos, ut eicerent illum, et non potuerunt 41. Respondens autem Jesus dixit: O generatio infidelis et peruersa, usque quo . . . . ero aput uos? usquequo . . . . ero uobiscum et patiar uos? Adduc huc filium tuum. 42. Adhuc autem ueniente ipso, elisit illum daemonium et dissipauit. 43. Et increpauit Jesus spiritui immundo et sanauit puerum et reddidit illum patri suo. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine . . . . omnibus . . . . rantibus super omnibus, quae faciebat. Dixit autem Jesus ad discipulos suos: Ponite sermones hos in auribus uestris; nam filius hominis tradetur in manibus hominum. 45. Ad illi ignorabant uerbum istut, et erat . . . .m ante eos, ut non sentirent, et timebant interrogare illum de hoc uerbo. 46. Intrauit autem cogitatio in eis, quis eorum maior esset. 47. Ad Jesus uidens cogitationes cordis illorum, adprehendens puerum statuit secus se et ait: 48. Quicumque acceperit puerum istum in nomine meo, me recepit, et quicumque me receperit, non me recipit, sed eum, qui me misit. Nam qui minor est inter omnes uos, hic maior est. 49. Respondens autem Johannes dixit: Praeceptor, uidimus quendam in nomine tuo eicientem daemonia et prohibebamus eum, quia non sequitur te nobiscum. 50. Et ait ad illos Jesus: Nolite prohibere; qui enim non est aduersus uos, pro uobis est: nemo est enim, qui . . . . at uir . . . . in nomine meo et poterit male loqui de me. 51. Factum est autem, dum complerentur dies adsumptionis eius, et ipse faciem suam firmauit, ut iret Hierusalem. 52. Et misit nuntios ante conspectum suum . . . . euntes intrauerunt in ciuitate Samaritan rum quasi paraturi illi. 53. Et non receperunt illum, quia facies eius erat euntis Hierusalem. 54. Cum uidissent autem discipuli eius Jacobus et Johannes, dixerunt: domine, uis dicimus, ut ignis descendat de caelo super illos, et consumat illos, sicut Helias fecit? 55. Et conuersus increpauit illos et dixit: Nescitis, cuius spiritus estis; 56. quia filius hominis non uenit animas hominum perdere, sed saluare. Et habierunt in aliam ciuitatem. 57. Factum est autem euntibus illis in uia, dixit quidam ad illum: Domine, sequar te, quecumque ieris. 58. Et ait illi Jesus: Uolpes foueas habent, et uolucres caeli nidos, ubi requiescant, nam filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet. 59. Et ait ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum. 60. Dixit autem ei

Jesus: Sine mortuos sepelire mortuos suos; tu autem uade, nuntia regnum dei. 61. Et ait alter: Seq . . . . domine . . . . primum permitte mihi nuntiare his, qui domi sunt. 62. Ait ad illum Jesus: Nemo respiciens retro mittit manum in aratrum, aptus est regno dei.

X. 1. Designauit autem Jesus et alios LXX. et misit illos binos ante faciem suam in omnem locum et ciuitatem, quo erat uenturus. 2. Et dicebat illis: Messis quidem copiosa est, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. 3. Et ecce ego mitto uos sicut agnos in medio luporum. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta; et neminem per uiam salutaueritis. 5. In quamcumque domum primum intraberitis, dicite: pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super i . . . uestra; sin autem super uos reuertetur. 7. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes, quae aput illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quacumque ciuitate intraueritis, et acceperint uos, manducate ea, quae aput uos ponuntur, 9. et curate infirmos, quae in illa sunt et dicite illis: Adpropiauit in uos regnum dei. 10. In quacumque autem ciuitate intraberitis, et non receperint uos, exeuntes in plateis eius dicite: 11. Etiam puluerem, qui adhaesit nobis de ciuitate uestra in pedibus, extergimus in uos; tamen hoc scitote, quia adpropiauit regnum dei. 12. Dico uobis: Sodomis in regno tolerabilius erit quam illi ciuitati. 13. Uae tibi Corozain et Betsaida, quia si Tyro et Sidone factae fuissent, quae in uobis factae sunt, olim in cilicio et cinere sedentes paenitentiam egissent. 14. Uerum tamen Tyro et Sidoni in iudicio tolerabilius erit quam uobis. 15. Et tu Cafarna . . . . quid us . . . . in caelum exaltaberis, aut usque in infernum demergeris. 16. Qui uos audit, me audit, qui uos spernit, me spernit et eum, qui me misit. Qui autem me audit, audit eum, qui me misit. 17. Reuersi sunt autem LXX, cum gaudio dicentes: domine, etiam daemonia in nomine tuo nos audiunt. 18. Et ait illis: Uidebam satanam sicut fulgur de caelo cadentem. 19. Et ecce dedi uobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et supra omnem uirtutem inimici, et nihil uos nocebit. 20. Uerumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus maligni uobis subiecti sunt; gaudete autem, quod nomina uestra scripta sunt in caelo. 21. In ipsa hora exultauit in spiritu sancto et dixit: Confiteor tibi pater, domine caeli et terrae, quod abscondisti a sapientibus haec et prudentibus et reuelasti ea paruolis. Ita pater, quia sic bona uoluntas fuit ante te. 22. Omnia mihi tradita a patre meo;

et nemo nouit patrem, nisi filius et que . . . . bit fili . . . . nisi pater . . . . uoluerit filius reuelare. 23. Et conuersus est ad discipulos dixit: Beati itaque oculi, qui uident, quae uidetis. 24. Dico enim uobis, quod multi prophetae et iusti uoluerunt uidere, quae uos uidetis, et non uiderunt, et audire, quae uos audistis, et non audierunt. 25. Haec eo dicente ecce quidam legis peritus surrexit, temptans illum et dicens: Magister, quid faciendo uitam aeternam possidebo? 26. Ad ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27. Ille respondens dixit: Diliges dominum deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in omnibus uiribus tuis, et proximum tuum sicut te ipsum. 28. Dixit autem illi: Recte respondisti; hoc fac et uiues. 29. Ille autem uolens iustificare se ipsum dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? 30. Suspiciens autem Jesus dixit: Homo descendebat ab Hierusalem in Hiericho et incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt illum et plagis impositis . . . . uiuo abierunt. 31. Sacerdos quidam descendebat per eadem uia et uiso illo praeteriit. 32. Similiter et leuita, cum esset secus locum, et uideret, eum pertransiit. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens uenit . . . . eum et uidens misericordia motus est. 34. Et alligauit uulnera eius et infundens oleum et uinum et imponens illum in iumento suo, duxit ad stabulum, et curam eius egit. 35. Et altera die protulit duos denarios et dedit stabulario et ait: curam eius habe, et quodcumque supererogaueris, ego reuertens reddam tibi. 36. Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse ei, qui incidit in latrones? 37. Ad ille dixit: Qui fecit misericordiam in eum. Et ait illi Jesus: Uade et tu fac similiter. 38. Factum est autem, cum irent et ipse intrauit in quodam castello, et mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam; 39. et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Jesu audiebat uerbum illius. 40. Martha autem satagebat circa ministerium, quae stetit, et ait: Non est tibi cura, eo quod soror mea reliquid me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adiuuet. 41. Et respondens dixit illi Jesus: Martha, Martha, 42. Mariam optimam partem elegit sibi, quae non auferetur illi.

XI. 1. Et factum est, cum esset ipse in quodam loco orans, et ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: domine, doce nos orare, sicut Johannes docuit discipulos suos. 2. Et ait illis: Cum oratis, dicite: *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. Ueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua in caelo et in terra.* 3. *Panem nostrum cottidianum da nobis hodie.* 4. *Et dimitte nobis debita nostra,*

sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in temptationem, sed libera nos a malo. 5. Et dixit ad eos: quis uestrum habet amicum et abit ad illum media nocte et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, 6. quoniam amicus meus . . . de uia, et non habeo, quod ponam ante illum, 7. et ille de intus respondens dicet: Noli mihi molestus esse; iam ostium clausum est, et pueri in cubiculo mecum sunt; non possum surgere et dare tibi? 8. Dico uobis, quo . . . . surgens . . . . illi, eo quod amicus eius est, propter improbitatem eius surget et dabit illi, quantos desiderat. 9. Et ego uobis dico: Petite et dabitur uobis; quaerite, et inuenietis; pulsate, et aperietur uobis. 10. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quaerit, inuenit, et pulsanti aperietur. 11. A quo autem ex uobis petit filius eius panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petit, numquid pro pisce serpentem porrigit ei? 12. Aut si petierit ouum, numquid scorpionem porrigit illi? 13. Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona data dare uestris filiis, quanto magis pater uester de caelo dabit bonum datum petentibus se? 14. Erat eiciens daemonium et illud erat mutum. Et cum eiceret a muto daemonium, omnes turbae obstupebant. 15. Quidam autem ex Pharisaeis dixerunt: In belzebul principem daemoniorum eicit daemonia. 16. Et alii temptantes, signum ab eo quaerebant de caelo. 17. Ipse autem, ut uidit cogitationes eorum dixit: Omne regnum in se diuisum desolatur, et domus supra domum posita, cadit. 18. Sic et satanas, si in se ipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis, quoniam ego in belzebul principem daemoniorum eicio daemonia. 19. Si ego in belzebul eicio daemonia, filii uestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices erunt uestri. 20. Sed si in digito dei eicio daemonia, praeuenit in uos regnum dei. 21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet. 22. Si autem fortior illo superueniens, uicerit eum, uniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia distribuet. 23. Qui non est mecum, aduersum me est, et qui non colligit mecum, dispargit. 24. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca, quae non habent aquam, quaerens requiem et non inueniens, tunc dicet: Reuertar in domum, unde exiui 25. Et cum inuenerit, inueniet eam scopis mundatam et ornatam. 26. Et tunc uadit et adsumit septem alios spiritus nequiores se et ingressus inhabitat; et fit eiusmodi hominis uita multo peior prioris. Factum est autem, cum haec diceret, extollens uocem quaedam mulier dixit illi: Beatus uenter, qui te portauit, et ubera, quae suxisti. 28. Ad ille dixit ad eos: Beati, qui audiunt uerbum dei et custodiunt.

29. Turbis autem concurrentibus coepit dicere: generatio haec, generatio pessima signum quaerit, et signum non dabitur illi, nisi signum Jonae. 30. Nam sicut fuit Jonas signum Nineuitis, ita erit et filius hominis generationi huic. 31. Regina ab austro surget in iudicio cum uiris generationis huius et condemnabit illos; quia uenit a finibus terrae audire sapientiam Solomonis, et ecce plus hic quam Solomon. 32. Uiri Niniuitae surgent in iudicio cum generatione hac et condemnabunt illam, quia paenitentiam egerunt in praedicatione Jonae, et ecce plus hic quam Jonas. 33. Nemo autem lucernam accendit et in absconso ponit neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen uideant. 34. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Cum fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit; cum autem nequam fuerit, etiam corpus tuum obscurum erit. 35. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipse tenebrae quantae sunt? 37. In eo autem, cum loqueretur ipse, Pharisaeus quidam rogauit illum, ut cum eo pranderet; et ingressus recubuit. 38. Pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere: quare non primum baptizatus est priusquam manducaret? 39. Et ait dominus ad illum: Nunc uos Pharisaei hypocritae, prius quod de foris est calicis aut catini mundatis, quod autem intus est uestrum plenum est rapina et iniquitate. 40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? 41. Tamen quae sunt, date elemosynam, et ecce omnia munda sunt uobis; haec enim oportebat facere et illa non omittere. 42. Sed uae uobis scribae et Pharisaei, qui decimatis mentam, et rutam et omne holus, et praeteritis iudicium et caritatem dei. 43. Uae uobis Pharisaei, quia diligitis primas catedras in synagogis et salutationes in foro et primos discubitos in conuiuiis. 44. Uae uobis scribae et Pharisaei hypocritae, quia monumenta estis, quae non parent, et homines ambulantes supra illa nesciunt. 45. Respondens autem quidam ex legisperitis ait: magister, haec dicens nobis, contumeliam facis. 46. Ad ipse ait: Et uobis legisperitis uae, quia oneratis homines oneribus, quae non possunt portare, et ipsi uno digito uestro non tangitis. 47. Uae uobis, quia aedificatis monumenta prophetarum; patres autem uestri occiderunt illos. 48. Ergo testimonium perhibetis, non conscientes operibus patrum uestrorum, quoniam illi quidem occiderunt eos, uos autem aedificatis. 49. Ideo mitto in illos prophetas et apostolos et ex illis occident et persequentur, 50. ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi usque ad generationem istam, 51. a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae, qui periit inter altare et aedem. Ita

dico uobis: requiretur ab hac generatione. 52. Uae uobis legisperitis, quia absconditis clauem scientiae, et ipsi non introitis et eos qui introibant, prohibuistis. 53. Cum ad illos diceret coram omni plebe, coeperunt Pharisaei et legisperiti male habere et committere cum illo 54. quaerentes de multis occansionem aliquam inuenire de illo ut eum accusarent.

XII. 1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se inuicem conculcarent, ita coepit dicere ad discipulos suos: Attendite uobis a fermento Pharisaeorum, quae est hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reueletur, neque occultum, quod non sciatur. 3. Quoniam quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur, et quod in aure locuti estis, praedicabitur super tecta, nec non et in plateis. 4. Dico autem uobis amicis meis: uidete ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quod faciant. 5. Ostendam autem uobis, quem timeatis: timete eum qui postquam occidit, habet potestatem mittere in gehennam. Etiam dico uobis: hunc timete. 6. Nonne duo passeres asse ueniunt? et unum ex illis uon cadit sine uoluntate dei. 7. Sed et capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Nolite timere; multis passeribus plures estis. 8. Dico uobis omnes, quicumque me confessus fuerit coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram angelis dei; 9. qui autem negauerit me coram hominibus, negabo et eum coram patre meo, qui est in caelis. 10. Et omnis qui dicit uerbum in filium hominis, remittetur ei; qui autem in spiritu sancto . . . . non remittetur ei. 11. Cum autem ducent uos in synagogis et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse, qualiter respondeatis aut dicatis. 12. Spiritus enim sanctus docebit uos in ipsa hora, quae oporteat dicere. 13. Et ait quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut diuidat mecum hereditatem. 14. Ad ille dixit ei: O homo, quis me constituit iudicem aut dispensatorem super uos? 15. Dixit autem ad eos: Uidete et cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam uita eius est ex his, quae possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos dicens: Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus attulit possessio. 17. et cogitauit intra se dicens: quid faciam quod non habeo, quo congregem fructus meos? 18. Et dixit . . . . destruam horrea mea et maiora faciam, et illuc congraegabo omnia quae nata sunt mihi. 19. et dicam animae meae: Habes multa bona, aepulare. 20. Dixit autem illi deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te . . . . autem . . . ti cuius erunt? 22. Dixit autem ad discipulos suos: propterea uobis

dico: nolite solliciti esse animae quid manducatis, neque corpori, quid induamini. 23. Anima enim plus est quam esca, et corpus plus quam uestimentum. 24. Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque borreum, et deus pascit illos, quanto magis uos plures estis auibus? 25. Quis autem uestrum cogitando potest adicere statum suum cubitum unum? 26. Et de ceteris ut quid solliciti estis? 27. Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque neunt, neque texunt, dico autem uobis, quoniam nec Solomon in omni illa gloria sua uestiebatur sicut unus ex istis. 28. Aut uidete faenum . . . . d ho . . . . agro est . . . . cras in clibanum mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos modicae fidei? 29. Et uos nolite quaerere quid manducetis aut quid bibatis; et nolite solliciti esse, 30. haec enim gentes huius mundi quaerunt. Scit . . . . pater uester, quoniam horum omnium indigetis. 31. Uerumtamen quaerite regnum dei, et haec omnia adicientur uobis. 32. Nolite timere pusillus grex, quia conplacuit patre uestro dare uobis regnum. 33. Uendite, quae possidetis, et date elemosynam: et facite uobis saculos, qui non ueterescant, thensaurum indeficientem in caelis, quo fur non adpropiat, neque tinea corrumpit, et ubi fures non effodiunt et furantur. 34. Nam ubi thensaurus uester est, ibi est cor uestrum. 35. Sint autem lumbi uestri praecincti et lucernae ardentes, 36. et uos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur a nuptiis, ut cum uenerit et pulsauerit, confestim aperiant ei. 37. Beati serui illi, quos cum benerit dominus, inuenerit uigilantes. Amen dico uobis, quod praecinget se et iubet illos discumbere, et transiet et ministrauit illis. 38. Et si uenerit uespertina uigilia et ita inuenerit, beati sunt, quoniam iubebit illos discumbere et ministrabit illis. 39. Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur uenit, uigilaret, et non sineret perfodiri domum suam. 40. Et uos estote parati, qua hora non putatis filius hominis uenturus est. 41. Dixit autem Petrus: Domine, ad nos dicis hanc similitudinem, an ad omnes? 42. Dixit autem Jesus: Quis est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus seruus ille, quem cum uenerit dominus eius, inueniet ita facientem. 44. Uere dico uobis, supra omnia, quae possidet, constituet illum. 45. Quod si dixerit seruus ille in corde suo dicens: Moram facit dominus meus uenire, et coeperit percutere pueros et ancillas et edere et bibere et inebriari. 46. Ueniet . . . serui illius in die, qua non sperat et hora, qua nescit, et diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. 47. Ille seruus, qui cogno-

uit domini sui uoluntatem et non parauerit ad uoluntatem eius . . . uit mul . . . 48. Qui autem non sciens fecerit, uapulauit paucas. Omni autem, cui multum datum fuerit, multum quaeretur ab eo; et cui commendauerit multum, plus petet ab eo. 49. Nescitis quoniam ignem ueni mittere in terram, et quid uolo, si accendatur? 50. Baptisma autem habeo baptizari, et quomodo turbor usque dum perficiatur? 51. Putatis quoniam pacem ueni mittere in terram? Non, dico uobis, sed separationem. 52. Erunt enim quinque in domo una diuisi; tres in duo et duo in tres diuidentur: Mater in filia, et filia in matrem; 53. pater in filium, et filius in patrem suum diuidetur; socrus in sponsam suam, et sponsa in socrum suam. 54. Dicebat autem et ad turbas: cum . . . tis nu . . . oriente . . . occasum, statim dicitis nimbus uenit, et ita fiet. 55. Et cum uideritis austrum flantem, dicitis, quod aestus erit, et ita fiet. 56. Hypocritae, faciem quidem caeli et terrae nostis probare, hoc autem tempus . . . proba . . . 57. uobis ipsis non iudicatis, quod iustum est? 58. Dum enim uadis cum aduersario tuo ad magistratum in uia, da operam liberari ab illo, ne forte condemnet te apud iudicem, et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi: non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.

XIII. 1. Uenerunt autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 2. Et respondens dixit illis: Putatis . . . Galilaei prae omnibus Galilaeis fuerunt peccatores, qui talia passi sunt? 3. Non, dico uobis; nisi paenitentiam habeatis, similiter omnes peribitis. 4. Sicut illi XVIII. super quos cecidit turris in Siloae et occi . . . s puta . . . niam ipsi debitores fuerunt praeter omnes homines, qui sedebant in Hierusalem? 5. Non, dico uobis, sed si non credideritis, omnes homines peribitis. 6. Dicebat autem hanc similitudinem: Arborem ficus . . . quidam plantatam in uineam, et uenit quaerens fructum in illa et non inuenit. 7. Dixit autem ad cultorem uineae: Ecce anni tres sunt, ex quo uenio, quaerens fructum in ficulnea hac et non inuenio, succide ergo illam, ut quid etiam terram euacuat? 8. Ad ille respondens ait illi: domine, remitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam et mittam cophinum stercoris, 9. et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides illam. 10. Erat autem docens in una synagogarum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quae habebat spiritum infirmitatis annis XVIII. et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, 12. Quam cum uideret, uocauit eam ad se et ait illi: mulier, dimissa

es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi . . . et confestim erecta est et magnificabat deum. 14 Respondens autem archisynagogus indignans, quod sabbato curaret Jesus, dicebat turbae: 15. Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo uenite et . . . mini et . . . in die Sabbati. Respondit autem ad illum dominus et dixit: Hypocrita, unusquisque uestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum a praesepio et ducit adaquare? 16. Hanc autem filiam Abrahae, quam alligauit satanas ecce X. et VIII. annis, non opportuit solui a uinculo die sabbati? 17. Et cum haec diceret, erubescebant aduersarii eius, et omnis populus gaudebat in praeclariis, quae uiderant fieri ab ipso. 18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum dei? et cui simile illud esse existimabo. 19. Simile grano sinapis, quod acceptum homo misit in ortum suum, et creuit et facta est arbor illa, ut uolucres caeli requiescerent in ramis eius. 20. Et iterum dixit: Cui simile aestimabo regnum . . .? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina, donec fermentatum est totum. 22. Et ibat per ciuitates et castella, docens et iter faciens in Hierusalem. 23. Et ait illi quidam: domine, si pauci sunt, qui salui . . .? Ipse autem dixit ad illos: 24. Contendite intrare per angustam portam, quia dico uobis: multi quaerent, et non poterunt. 25. Ex quo surrexit paterfamilias et clauserit ostium, et incipietis foris stare et pulsare dicentes: domine, domine, aperi nobis; et respondens dicet: nescio uos unde sitis; 26. tunc incipietis dicere: manducauimus coram te, et bibimus et in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet uobis: nescio unde estis; discedite a me, omnes operarii iniquitatis, 28. ibi erit fletus et stridor dentium, cum uideritis Abraham et Isac et Jacob et omnes prophetas introeuntes in regno dei, uos autem expelli foras. 29. Et uenient ab oriente et occidente et aquilone et austro et recumbent in regno dei. 30. Et ecce sunt nouissimi, qui erunt primi, et sunt primi, qui erunt nouissimi. 31. In ipsa autem die accesserunt quidam Pharisaeorum, dicentes illi: Exi et uade hinc, quia Herodes uult te occidere. 32. Et ait illis Jesus: Ite, dicite uulpi illi: Ecce eicio daemonia et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. 33. Abite, quia non oportet prophetam perire extra Hierusalem. 34. Hierusalem, Hierusalem, quae occidis prophetas et lapidas eos, qui ad te mittuntur, quotiens uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina nidum suum sub pinnis, et noluisti. 35. Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Dico uobis, non me uidebitis, donec ueniat dies, cum dicetis: Benedictus, qui uenit in nomine domini.

XIV. 1. Et factum est, ut intrauit in domum cuiusdam principis Pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi obseruabant eum. 2. Et ecce homo hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens Jesus ad legisperitos et Pharisaeos: . . . Si licet sabbato curare an non? 4. Ad illi tacuerunt. Ipse uero adprehensum eum, sanauit ac dimisit eum. 5. Et dixit ad illos: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadens et non continuo extrahit illum die sabbati? 6. Et non poterant ad haec respondere illi. 7. Dicebat autem ad inuitatos, intendens quomodo primos acubitos eligebant, dicens ad illos: 8. Cum inuitatus fueris ab aliquo, noli discumbere in primo loco, ne forte honoratior te sit uocatus, 9. et ueniat, qui te et illum uocauit et dicat tibi: da huic locum, et incipies cum rubore nouissimum locum tenere. 10. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nobissimo loco ut cum uenerit, qui te inuitauit, dicat tibi: amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria cum simul recumbentibus, 11. quia omnis, quia se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. 12. Dicebat autem ad inuitatori: Cum facis prandium aut cenam, noli inuitare amicos tuos neque fratres, neque cognatos, neque uicinos, neque diuites, ne forte et ipsi te reinuitent et erit tibi retributio; 13. sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, clodos, caecos, 14. et beatus eris, quod non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. 15. Haec cum audissent quidam de simul discumbentibus, dixerunt illi: Beatus qui manducabit panem in regno dei. 16. Ad ipse dixit: Homo quidam fecit cenam magnam et uocauit multos, 17. et misit seruum suum hora cenae, ut diceret inuitatis: uenite, iam paratum est. 18. Et coeperunt simul omnes excusare se: primus dixit: Uillam emi, et necesse habeo exire et uidere illam, rogo te, habe me excusatum. 19. Et alter dixit: iuga boum emi quinque, et eo probare illa, et deuenire non possum. 20. Et alius dixit: uxorem duxi et non possum uenire. 21. Et reuersus seruus, nuntiauit domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi cito in plateis et uicis ciuitatis; et pauperes ac debiles et caecos et clodos introduc huc. 22. Et ait seruus: Factum est domine, sicut imperasti, et adhuc locus est. 23. Et ait dominus seruo suo: Exi in uia et circa sepes, et compelle intrent, ut impleatur domus mea. 24. Dico autem uobis, quod nemo uirorum illorum, qui uocati sunt, gustabunt cenam meam. 25. Ibant autem cum illo turbae et conuersus dixit ad illos: 26. Si quis uenit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores etiam et animam suam, non potest meus discipulus esse. 27. Et qui non bajulat crucem suam et uenit post

me, non potest esse meus discipulus. 28. Quis ex uobis uolens turrem aedificare, non prius sedens computauit sumptus, qui necessarii sunt, si habet ad consummandum? 29. ne posteaquam posuerit fundamentum et non potuerit consummare, omnes, qui uidebunt, dicent: 30. Hic homo coepit aedificare et non potuit consummare. 31. Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non prius sedens cogitabit, si potuerit cum X milibus obuiare ei, qui cum XX milibus uenit aduersus se? 32. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittet rogans pacem. 33. Sic ergo ex uobis qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus discipulus esse. 34. Bonum est sal, sed si sal quoque euanuerit, in quo condietur? 35. Neque in terram, neque in sterculinio utile est, sed foris mittent eum. Qui habent aures audiendi audiat.

XV. 1. Erant autem adpliciti illi publicani et peccatores, ut audirent illum. 2. Et murmurabant Pharisaei et scribae, quod hic peccatores reciperet et manducaret cum illis. 3. Et ait ad illos similitudinem hanc: 4. Quis ex uobis homo, qui habet centum oues, et si errauerit una ex eis, non dimitteret XCVIIII in deserto et abit ad illam, quae errauerit, donec inueniat eam? 5. Et cum inuenerit eam . . . . eam in humeros suos, 6. et ueniens domum conuocat amicos et uicinos dicens illis: Congratulamini mecum, quia inuenta est ouis mea, quae perierat. 7. Dico uobis quod ita gaudium erit in caelo . . . peccatore . . . . paenitentiam habenti quam in XCVIIII iustis, qui non indigent paenitentiam. 8. Aut quae mulier habens dracmas decem, si perdiderit unam, nonne accendit lucernam et scopis mundauit domum et quaerit diligenter, donec inueniat? 9. Et cum inuenerit, conuocat amicas et uicinas dicens: Congratulamini mihi, quod inueni dracmam. 10. Ita dico uobis, sic gaudium erit cum angelis dei in peccatore paenitentiam agenti. 11. Et ait: Homo quidam habuit duos filios, 12 et dixit illi adulescentior: pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit. Et diuisit illius substantiam. 13. Et non post multos dies congraegatis omnibus adulescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipauit substantiam suam uiuendo luxuriose. 14. Et postquam omnia consumpsit, facta est fames per regionem illam, et coepit et ipse egere uictum. 15. Et abiit et adplicuit se cuidam ciuium regionis illius, et is misit illum in uilla sua, ut pasceret porcos. 16. Et cupiebat implere uentrem suum de siliquis, quae porci manducabant, et nemo illi dabat. 17. In se autem conuersus dixit: quanti mercenarii patris

mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. 18. Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi: pater, peccaui in caelum et coram te; 19. iam non sum dignus uocari filius tuus, sed fac me sicut unum mercennariorum tuorum. 20. Et surgens, uenit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe abesset, uidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et adcurrens cecidit supra collum eius et osculatus est illum. 21. Dixit autem ei filius eius: pater, peccaui in caelum et in te; iam non sum dignus uocari filius tuus. 22. Dixit autem pater eius ad seruos suos: Cito proferte mihi stolam illam primam et induite illum, et date anulum in manu eius et calciamenta in pedibus eius; 23. et adducite uitulum illum saginatum et occidite eum et manducemus et aepulemur, 24. quia hic filius meus mortuus fuerat et reuixit, perierat et inuentus est. Et coeperunt aepulari. 25. Erat autem filius eius senior in agro, et factum est cum ueniret et adpropiaret domui, audiit symphoniam et choros, 26. et uocauit unum de seruis et interrogauit, quaenam haec essent. 27. Isque dixit ei: Quia frater tuus uenit, et occidit pater tuus uitulum illum saginatum, quia saluum illum recepit. 28. Indignatus est autem et nolebat intrare. Pater uero illius egressus coepit rogare illum. 29. Ad ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi et numquam mandatum tuum praeteribi, et numquam dedisti mihi . . . . et cum amicis meis aepularer. 30. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam cum meretricibus, uenit et occidisti illi uitulum illum saginatum. 31. Et ipse dixit illi: Fili, tu mecum semper fuisti et es, et omnia mea tua sunt, 32. aepulari autem nos et gaudere oportet, quod frater tuus hic mortuus fuerat et reuixit, perierat et inuentus est.

XVI. 1. Dicebat autem ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat uilicum, et hic diffamatus erat aput illum, quasi dissipasset bona eius. 2. Et uocauit illum ad se et ait illi: Quid hoc audio de te, redde rationem uilicationis tuae; iam enim non poteris uilicare. 3. Ait autem uilicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus auferet a me uilicationem, fodere non ualeo, mendicare erubesco. 4. Cognoui, quid faciam, ut cum amotus fuero a uilicatione, recipiant me in domos suas. 5. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? 6. Ad ille dixit: centum uathos olei. Dixit autem illi: Accipe litteras tuas et sede cito scribe: quinquaginta. 7. Deinde alio dixit: Tu, quantum debes? Ait: Centum choros tritici. Ait et illi: Accipe litteras tuas

et scribe LXXX. 8. Et laudauit dominus uilicum iniquitatis, eo quod prudenter fecerit. Dixit autem ad discipulos suos. Fili huius saeculi prudentiores sunt quam fili lucis in hac generatione. 9. Et ego uobis dico: Facite uobis amicos de mamona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in aeterna tabernacula sua. 10. Qui fidelis est in minimo, et in maius fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in maius iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mamona fideles non fuistis, quod uerum est, qui dabit uobis? 13. Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Aut unum odiet et alterum amauit, aut unum patietur et alterum contemnet. Non potestis deo seruire et mammonae. 14. Audiebant autem haec Pharisaei, qui erant auari, et deridebant illum. 15. Et ait illis: Uos estis, qui iustificatis uos coram hominibus; deus autem nouit corda uestra; quia quod in hominibus sublime est, abominatio eius ante deum. 16. Lex et prophetae ad Johannen, ex quo regnum dei euangelizatur, et omnis in illut uim facit. 17. Facilius est autem caelum et terram praeterire quam de lege unum apicem cadere. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, moechatur, et qui dimissam a uiro ducit, moechatur. 19. Homo autem quidam erat diues, qui induebatur purpuram et aepulabatur cottidie splendide. 20. Erat autem quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus, 21. cupiens saturari ex his, quae cadebant de mensa diuitis; sed et canes ueniebant et lingebant ulcera eius. 22. Factum est autem, ut moreretur Lazarus mendicus, et portaretur ab angelis in sinum . . . . Mortuus est autem diues et sepultus est. 23. Et in inferno eleuans oculos suos, cum esset in tormentis, uidit Abraham a longe et Lazarum in sinu eius requiescentem, 24. et ipse exclamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 24. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti tu bona in uita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. 26. Et in his omnibus inter uos et nos chaos magnus stabilitus est, ut hi, qui uenient hoc, transire non possint ad uos, neque inde huc transmeare. 27. Dixit autem: Rogo ergo te, pater, ut mittas in domum patris mei. 28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi ueniant in locum hunc tormentorum, 29. Et ait illi Abraham: Habent Moysen et prophetas, audiant illos. 30. Ad ille dixit: Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis resurrexerit, persuadebit illis. 31. Ait autem illi: Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis ad illos abierint, credent.

XVII. 1. Dixit autem ad discipulos suos: Impossibile est, ut non ueniant scandala; uerumtamen uae illi, per quem uenient. 2. Utilius autem fuerat illi ne nasceretur, aut lapis molaris imponatur circa collum illius et proiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. 3. Attendite uobis: si peccauerit frater tuus, increpa illum, et si paenitentiam habuerit dimitte illi. 4. Et si septies in die peccauerit in te, et si septies conuersus fuerit ad te dicens: paenitet me, dimitte illi. 5. Et dixerunt illi apostoli: Domine, audauge nobis fidem. 6. Et dixit illis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro: eradicere et transplantare in mare, utique obaudisset uobis. 7. Quis autem habens seruum arantem aut . . . . O . . . . centem . . . . regredienti de agro, dicet illi: 8. Transi, recumbe, sed dicet illi: para mihi, quod cenam, et praecinge te et ministra mihi, donec manducem et bibam, et sic tu manducabis et bibes. 9. Numquid gratiam habet seruo quod fecit, quae sibi imperata sunt? 10. Non puto; et uos cum feceritis, quae praecepta sunt, dicitis: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. 11. Et factum est, dum Hierusalem iret, transibat per mediam Samariam, et Galilaeam et Hiericho. 12. Et ingrediente ei in quodam castello, et ecce decem uiri leprosi steterunt a longe, 13. et leuauerunt uocem dicentes: Jesu, praeceptor, miserere nobis. 14. Quos ut uidit dixit: Ite, ostendite uos sacerdotibus. Et factum est, dum uadunt, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut uidit quia mundatus est, regressus est cum magna uoce magnificans deum. 16. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ei, et hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem . . . . dixit: Hi X mundati sunt, nouem ubi sunt? 18. Ex illis non est qui rediret et gratias ageret deo nisi hic alienigena? 19. Et ait illi: surge, uade, quia fides tua te saluum fecit. 20. Interrogatus autem a Pharisaeis: Quando uenit regnum dei? . . . . ille dixit eis: Non uenit regnum dei cum obseruatione, neque dicent: ecce hic aut ecce illic; ecce enim regnum dei intra uos est. 22. Et ait ad discipulos suos: Uenient dies, ut desideretis uidere unum diem filii hominis et non uidebitis. 23. Et dicent uobis: ecce hic et ecce illic; nolite ire, neque sectemini. 24. Nam sicut fulgur fulgurans de caelo lucet in his, quae sub caelo sunt, ita erit et filius hominis. 25. Primum autem oportet illum multa pati et reprobari a generatione hac. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus filii hominis: 27. edebant et bibebant, uxores ducebant, nubebant usque in diem, qua intrauit Noe in arcam, et uenit diluuium et perdidit omnes. 28. Similiter factum est in diebus

Loth: edebant et bibebant, emebant et uendebant, plantabant et aedificabant, 39. qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem de caelo et omnes perdidit, 30. secundum haec erit dies filii hominis, qua reuelabitur. 31. In illa hora, qui fuerit in tecto . . . . a eius in domo, ne descendat tollere illa, et qui in agro, non redeat similiter retro. 32. Memores estote uxoris Loth. 33. Quicumque autem quaesierit animam suam liberare, perdet illam, et quicumque perdiderit illam propter me, saluam faciet illam. 34. Dico uobis: illa nocte erunt duo in lecto uno, unus adsumetur, et alter relinquetur; 35. duae molentes in unum, una adsumetur, et una relinquetur; duo in agro, unus adsumetur, et unus relinquetur. 36. Respondentes autem dixerunt illi: Ubi, domine? 37. Quibus ipse dixit: Ubicumque fuerit corpus, illic congraegabuntur aquilae.

XVIII. 1. Dicebat autem parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere 2. dicens: Judex quidam erat in quadam ciuitate, qui . . . . non timebat, nec hominem reuerebatur. 3. Uidua autem erat in ciuitate, quae uenit ad illum dicens: Uindica me de aduersario meo. 4. Et nolebat per multum tempus. Post haec autem dixit intra . . . : Si deum . . . . timeo, nec hominem reuereor, 5. tamen quia molesta est mihi haec uidua, uindicabo illam, ne in nouissimo ueniendo constringat me. 6. Ait autem dominus: Audite, quid iudex iniquitatis dixerit? 7. Deus autem non faciet uindictam electorum suorum clamantium die ac nocte, patientiam habens in illis? 8. Dico uobis: Faciet cito uindictam illorum. Tamen filius hominis ueniens numquid inueniet fidem super terram? 9. Dixit autem quosdam, qui sibi confidebant, tamquam iusti essent, et spernebant ceteros, similitudinem istam: 10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent, 11. unus publicanus et alter Pharisaeus. Stans itaque Pharisaeus sic orabat: deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri homines, raptores, iniusti, adulteri uelut etiam sicut hic publicanus; 12. ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quae possideo. 13. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos suos sursum leuare ad caelum, sed tantum percutiebat pectus suum dicens: domine, deus, repropitiare mihi peccatori. 14. Dico itaque uobis, quia descendit hic publicanus, iustificatus magis in domum suam quam ille Pharisaeus; quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. 15. Adferebat autem ad illum infantes, ut eos tangeret; quod cum uiderent discipuli, increpabant illos. 16. Jesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros uenire ad

me, et nolite eos uetare; talium est enim regnum caelorum. 17. Amen dico uobis: quicumque non acceperit regnum dei sicut puer, non intrauit in illut. 18. Interrogauit autem eum quidam dicens: magister bone, quid faciendo uitam aeternam possidebo? 19. Dixit autem ei Jesus: . . . dicis bonum, nemo bonus nisi unus, deus. 20. Mandata nosti: Non occides, non adulterium admittes, non furtum facies, non falsum testimonium dices; honora patrem tuum et matrem tuam. 21. Ait ille: Haec omnia custodiui a iuuentute mea. 22. Quo audito, Jesus ait: Adhuc unum tibi deest: quaecumque habes, uende et da pauperibus, et habebis thensaurum in caelo, et ueni sequere me. 23. His ille auditis contristatus est, quia dives erat ualde. 24. Uidens autem illum tristem factum, dixit Jesus: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum dei intrabunt. 25. Facilius est camellum foramen acus transire, quam diuitem intrare in regno dei. 26. Et dixerunt, qui audiebant: et quis potest saluus fieri? 27. Ait illis Jesus: Quae impossibilia sunt aput homines, haec omnia possibilia sunt aput deum. 28. Ait autem Petrus: Ecce nos relictis retibus nostris secuti sumus te. 29. Quibus ipse dixit: Amen, dico uobis: nemo est, qui reliquid domum aut parentes, aut fratres, aut sororem, aut filios propter regnum dei, 30. nisi ut recipiat septies tantum et in hoc tempore et in saeculo uenturo uitam aeternam possidebit. 31. Adsumpsit autem XII discipulos suos et ait ad illos . . .: ascendimus Hierosolyma et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de filio hominis. 32. Tradetur enim gentibus et inludetur et inspuetur 33. et flagellatum occident illum et tertia die resurget. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, sed erat uerbum absconsum ab eis; et non intellexerunt, quod dicebatur ab eo. 35. Factum est autem, cum adpropinquaret Hiericho, caecus quidam sedebat secus uiam mendicus. 36. Et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat, quid hoc esset. 37. Dixerunt autem illi, quod Jesus Nazoreus transit. 38. Et clamauit dicens: Jesu, fili Dauid, miserere mihi. 40. Stans autem Jesus iussit illum adduci ad se. Et cum adpropinquasset, interrogauit illum dicens: 41. Quid tibi uis faciam? Ad ille dixit: Ut uideam, domine. 42. Et respondens dixit illi Jesus: Respice, fides tua te saluum fecit. 43. Et confestim uidit et sequebatur illum magnificans deum. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem deo.

XIX. 1. Et ingressus perambulabat Hiericho. 2. Et ecce uir nomine Zaccheus; et hic erat princeps publicanorum et ipse dives; 3. et quaerebat uidere Jesum, quis esset; et non poterat prae turba,

quia statura pusillus erat. 4. Et praecurrens ascendit in arborem sycomorum ut uideret illum, quia illa parte erat transiturus. 5. Et factum est, cum transiret Jesus, uidit illum respicientem et dixit ad eum: Zacchaee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. 6. Et festinans descendit et excepit illum gaudens. 7. Et cum uiderent omnes, murmurauerunt dicentes, quia ad hominem peccatorem deuertit. 8. Stans autem Zaccheus dixit ad dominum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, domine, et si quid alicui . . . li fraude, reddo quadruplum. 9. Ait autem Jesus ad illos: quod hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse sit filius Abrahae. 10. Uenit enim filius hominis quaerere et saluum facere, quod perierat. 11. Haec illis audientibus . . . ens dixit similitudinem: eo, quod esset prope Hierusalem, et quia existimarent, quod confestim regnum dei manifestaretur. 12. Dixit ergo: Homo quidam erat dives. Is abiit in regionem longe accipere regnum et reuerti. 13. Et uocauit decem seruos et dedit illis decem talenta et ait ad illos: Negotiamini, dum uenio. 14. Ciues autem oderant illum et miserunt legationem post illum dicentes: Nolumus hunc regnare supra nos. 15. Et factum est, ut rediret accepto regno, et iussit uocare seruos, quibus dedit pecuniam ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. 16. Uenit autem primus dicens: domine talentum tuum X talenta adquisiuit. 17. Et ait illi: euge bone serue, quia in modico, fidelis fuisti, eris potestatem habens supra decem ciuitates. 18. Et alter uenit dicens: domine, mna tua fecit quinque talenta. 19. Ait et huic: Et tu esto supra quinque ciuitates. 20. Et alter uenit dicens: domine, ecce talentum tuum, quod habui repositum in sudario. 21. quia timui te, quod homo austeris es, tollis, quod non posuisti, et metis, quod non seminasti. 22. Et dixit ei: De ore tuo te iudico; crudelis serue; sciebas, quod ego homo austeris sum, tollo, quod non posui, et meto quod non seminaui, 23. et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego ueniens cum usuris utique exegissem illum? 24. Et adstantibus dixit: Auferte ab illo talentum et date illi, qui decem talenta habet. 26. Dico autem uobis: quoniam — — — —

XXI. — — arbores, 30. cum producant iam ex se fructum, scitis, quoniam iam prope est aestas. 31. Ita et haec cum uideritis fieri, scitote quod prope est regnum dei. 32. Amen dico uobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant. 33. Caelum et terra transient, uerba autem mea non transient. 34. Attendite autem

uobis, ne forte grauentur corda uestra in crapula et ebrietate et cogitationibus secularibus, et superueniat in uos repentina .... 35. tanquam laqueus superveniet enim in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae. 36. Uigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini effugere ista omnia, quae futura sunt, et stabitis ante filium hominis. 37. Erat autem inter diem docens in templo, noctibus uero exiens auocabatur in monte, qui uocabatur Olibeti. 38. Et omnis populus manicabat in templo, audire eum.

XXII. 1. Adpropiauit autem dies azimorum, quae dicitur pascha, 2. et quaerebant principes sacerdotum et scribae, quomodo eum interficerent, timebant uero plebem. 3. Intrauit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Scarioth, unus de XII, 4. et abiit et locutus est cum principibus sacerdotum et scribis, quemadmodum .... traderet eis. 5. Et pacti sunt pecuniam dare. 6. Et quaerebat opportunitatem, ut traderet illum sine turba eis. 7. Uenit autem dies paschae, in qua necesse erat occidi pascha, 8 et misit Petrum et Johannen ....: Euntes, parate nobis pascha, ut manducemus. 9. Ad illi dixerunt: Ubi bis paremus. 10. Et dixit ad illos: Ecce introeuntibus uobis in ciuitate occurret uobis homo anphoram aquae portans, sequimini eum in domum, in quam intrat; 11. et dicetis patrifamiliae: Dicet tibi magister :Ubi est diuersorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? 12. Et ille uobis ostendet pede plano locum stratum magnum; ibi parate. 13. Euntes autem inuenerunt, sicut dixit illis et parauerunt pascha. 14. Et cum facta esset hora, discubuit et apostoli cum illo. 15. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobis, antequam patiar. 16. Dico enim uobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec .... in regno dei. 17. Et accepto pane gratias egit et fregit et dedit illis dicens: 18. Hoc est corpus meum. Et accepto calice gratias egit et dixit: Accipite hoc et diuidite inter uos. 19. Dico enim uobis, quod non bibam de generatione hac uitis huius, donec regnum dei ueniat. 21. Uerumtamen ecce manus tradentis me mecum in mensa. 22. Et quidem filius hominis, secundum quod scriptum est, uadit. Uerumtamen uae homini illi, per quem filius hominis traditur. 23. Et ipsi conquirebant inter se, quis esset hoc facturus. 24. Facta est autem contentio inter illos, quisnam maior uideretur. 25. Ad ipse dixit eis: reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem in eos exercunt, beneficiorum largiores dicuntur. 26. Uos autem non ita, sed qui maior est in uobis, efficiatur ut adulescentior, et qui praeest, ut qui ministrat.

27. Quis enim maior est, qui recumbit, aut qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem sum in medio uestrum, sicut qui ministrat. 28. Uos estis qui permansistis mecum in temptatio .... ei .... 29. dispono uobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, 30 ut edatis et bibatis in meam mensam et in regno meo, et sedebitis in XII sedibus iudicantes XII tribus Istrahel. 31. Ait autem dominus: Simon, Simon, ecce satanas ... iuit ut ... let sicut triticum. 32. Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos, et rogate, ne intretis in temptationem. 33. Dixit autem ... Petrus, domine, tecum paratus sum in carcere et in morte ire. 34. Et ille dixit: dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter me abneges. 35. Et dixit eis: quando misi uos sine sacculo et pera et calciamentis, numquid alicuius egistis? 36. Et dixerunt: nullius. Dixit ergo: sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter et peram, et qui non habet, uendat uestimentum suum et emat gladium. 37. Dico enim, quia quod scriptum est, oportet impleri in me; et cum sceleratis deputatus sum. Quod etiam ... finem ha ...38. Qui dixerunt ei: domine! Ecce gladia duo hic. Qui dixit: sufficit. 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem suam in montem Olibeti. Secuti sunt autem illum et discipuli eius. 40. Et cum peruenisset loco, dixit illis: Orate, ne intretis in temptationem. 41. Et ipse auolsus est ab eis, quantum iactum lapidis, et positis genibus orabat: 42. Pater, si uis, transfer calicem hunc a me; uerum non mea uoluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem illi angelus de caelo confortans illum. Et factus est in agonia, et prolixius orabat. 44. Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentes in terram. 45. Et factum est, cum surrexisset ab oratione, et uenisset ad discipulos suos, inuenit illos dormientes prae tristitia. 46. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in temptationem. 47. Adhuc autem illo loquente, ecce turbae et qui uocabatur Judas, unus de XII, antecedebat eos. Et adpropians osculatus est Jesum; hoc enim signum ... eis dicens: quemcumque osculatus fuero, hic est, tenete eum. 48. Dixit autem illi Jesus: Juda, osculo filium hominis tradis? 49. Quod cum uiderent eum hi, qui circa ipsum erant, dixerunt ei: domine, uis, percutiemus eum in gladio? 50. Et percussit ... ...s unus ex illis seruum principis sacerdotum, et amputauit auriculam eius dextram. 51. Respondens autem Jesus dixit: Dimitte eum. Et tetigit aurem eius et sanauit eum 52. Ait autem Jesus: Sine usque hoc. Et ad eos, qui ad se uenerant, dixit, principibus sacerdotum et magistratibus templi et senioribus: Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus? 53. Cum cotidie uobiscum fuerim in templo non

extendistis in me manus, sed haec hora est uestra et potestas tenebrarum. 54. Et comprehensum illum duxerunt in domum principis sacerdotum. Petrus uero sequebatur illum a longe. 55. Accenso autem igni in medio atrio et circumsedentibus, sedebat et Petrus in medio eorum. 56. Quem cum uidit ancilla sedentem ad lumen, intuens illum dixit. Et hic de eis est, qui cum ipso erant semper. 57. Ad ille negauit dicens: Mulier, non noui illum. 58. Et iterum post pusillum uidens eum alia dixit: Homo, et tu cum . . . eras semper. Qui respondit: Non sum ego. 59. Et interuallo facto horae unius alius contendens dixit: Uere et hic cum illo erat, nam et Galilaeus est. 60. Et ait Petrus: Homo, nescio, quid dicas. Et continuo adhuc illo loquente gallus cantauit. 61. Et conuersus dominus respexit Petrum. Et rememoratus est Petrus uerbum domini sicut dixit illi: priusquam gallus cantet, ter me negabis hodie nosse. 63. Et uiri qui tenebant eum, inludebant eum dicentes: prophetiza nobis, quis est, qui te percussit? et alia multa blasphemantes et dicentes in eum. 66. Et ut factus est dies, conuenit presbiterium plebis et principes sacerdotum et scribae et duxerunt illum in concilium suum et interrogabant eum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis? 67. Ait illis: Si uobis dixero, non creditis, 68. si interrogauero, non respondetis mihi, neque dimittetis. 69. Ex hoc autem filius erit hominis sedens a dextris uirtutis dei. 70. Et dixerunt omnes: tu ergo es filius dei? Ait autem illis: Uos dicitis, quod ego sum. 71. Ad illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? audiuimus enim de ore ipsius.

XXIII. 1. Et exurgens omnis multitudo illorum duxerunt illum ad Pilatum. 2. Coeperunt autem accusare illum dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram et soluentem legem nostram et Prophetas et prohibentem tributa dari caesari et dicentem se Christum regem esse. 3. Pilatus autem audiens, interrogauit eum dicens: Tu es rex Judaeorum? Ad ille respondens ait: Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas: Nihil inuenio causae in hoc homine. 5. Ad illi inualescebant, dicentes: Commouet populum per uniuersam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc 6. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogauit, si a Galilaea homo esset. 7. Et ut cognouit, quod de Herodis potestate est, misit illum ad Heroden, qui in Hierosolymis erat in illis diebus. 8. Herodes autem, uiso Jesu, gauisus est ualde; erat enim cupiens illum uidere ex multo tempore, eo quod audiret multa de illo, et sperabat signum aliquod uidere ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. Ad ipse nihil ei respondebat. 10. Stabant etiam principes sacerdotum et scribae constanter accusantes eum. 11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitibus suis et inlusit, et indutum illum ueste alba, remisit illum ad Pilatum. 12. Tunc amici facti sunt Herodes et Pilatus ipsa die; nam ante inimici fuerunt ad inuicem. 13. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotun et magistratibus plebis 14. dixit ad illos: Optulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, et ecce ego coram uobis interrogans, nullam causam inuenio in hoc homine ex his, quibus eum accusatis, 15. sed neque Herodes, nam misi uos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est illi. 16. Emendabo ergo eum et dimittam. 17. Necesse autem habuit dimittere illis secundum consuetudinem unum. 18. Exclamauit autem simul uniuersa turba dicens: Tolle hunc et dimitte nobis Barrabam, 19. qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate et homicidium missus in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad illos, uolens dimittere Jesum. 21. Ad illi succlamabant dicentes: Crucifige illum. 22. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam enim causam mortis inuenio in eo; corripiam ergo illum et dimittam. 23. Ad illi instabant uocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, et inualescebant uoces eorum. 24. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem ipsorum. 25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem; Jesum uero tradidit uoluntati eorum. 26. Et cum ducerent eum, Simonem quemdam Cyrenensem uenientem de uilla adprehenderunt et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. 27. Sequebatur autem illum multitudo populi et mulierum, quae plangebant et lamentabant. 28. Conuersus autem ad illas Jesus dixit: Filiae Istrahel, tacete; nolite flere me, sed uos ipsas flete et filios uestros, 29. quoniam uenient dies, in quibus dicent: Beatae steriles et uentres, quae non genuerunt, et ubera, quae non nutrierunt; 30. tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, et collibus: operite nos; 31. quia si in udo ligno haec fiunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem alii duo latrones cum illo, ut crucifigerentur. 33. Et postquam uenerunt in locum, qui uocatur Caluariae, ibi crucifixerunt eum, et latrones duos, unum ad dextram et alium ad sinistram. Diuidentes etiam uestimenta eius miserunt sortem. 35. Et stabat populus expectans; et deridebant illum principes dicentes: alios saluos fecit, nunc se saluum faciat, si hic est Christus dei electus. 36. Deludebant autem eum et milites accedentes et acetum offerebant illi dicentes: 37. Si tu es rex Judaeorum . . . ua te. 38. Et erat superscriptio inscripta super illum litteris

Graecis, Latinis et Haebreicis. Hic est rex Judaeorum. 39. Unus etiam de pendentibus latronibus blasphemabat eum dicens: Nonne tu es Christus? Salua temetipsum et nos. 40. Respondens autem alter increpabat illum dicens: Nec times deum tu, quod in eamdem damnationem es? 41. Et nos quidem iuste haec patimur, nam digna factis nostris recepimus, hic uero nihil mali gessit. 42. Et dixit ad Jesum: Memor esto mei, domine, quando uenies in regno tuo. 43. Et dixit ei Jesus: Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso. 44. Et erat fere hora sexta diei, et tenebrae factae sunt in uniuersa terra usque in nonam horam; 45. obscuratus est sol, et uelum templi scissum est medium. 46. Clamans uoce magna Jesus: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hoc dicens emisit spiritum. 47. Uidens autem centurio, quod fiebat, magnificat deum dicens: Uere homo hic iustus erat. 48. Et omnis turba . . . simul aderant ad spectaculum istud, qui uidebant, quae fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. 49. Stabant autem omnes noti eius a longe, et mulieres quae secutae fuerant a Galilaea haec uidentes. 50. Et ecce uir nomine Joseph, qui erat decurio bonus et iustus. 51. (Hic non consenserat consilio et actibus eorum), ab Arimatia ciuitate Judeae, qui expectabat regnum dei. 52. Hic accessit ad Pilatum et petit corpus Jesu, 53. et depositum illut, inuoluit in syndone nouam et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. 54. Et dies erat cenae purae, et sabbatum inlucescebat. 55. Subsecutae autem duae mulieres, quae cum ipso uenerant de Galilaea, uiderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus eius. 56. Et reuertentes parauerunt aromata et unguenta et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

XXIV. 1. Una autem sabbati uenerunt ualde tempore ad monumentum portantes, quae parauerant, 2. et inuenerunt lapidem reuolutum. 3. Ingressae autem non inuenerunt corpus. 4. Et factum est dum mente consternatae essent de facto, et ecce duo uiri steterunt secus illas in ueste fulgente. 5. Cum timerent autem et declinarent uultum in terram, dixerunt ad illas: quid quaeritis uiuentem cum mortuis. 6. Rememoramini, qualiter locutus est uobiscum, cum adhuc in Galilaea esset dicens: 7. Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum et crucifigi, et die tertia resurgere. 8. Et rememoratae sunt uerborum horum. 9. Et regressae renuntiauerunt haec omnia illis XI. et ceteris omnibus. 10. Erat autem Maria Magdalenae, et Johanna, et Maria Jacobi et ceterae, quae cum ipsis fuerant, haec dicebant ad apostolos.

11. Et uisa sunt ante illos sicut deliramentum uerba ista, et non credebant illis. 13. Et ecce duo ex illis ibant in ipsa die in castellum, quod aberat stadia sexaginta ab Hierusalem, nomine Cleofas, et Ammaus. 14. Et ipsi fabulabantur, ex his omnibus. quae acciderant. Et factum est dum fabulabantur, et ipse Jesus superuenit et ibat cum illis; 16. oculi autem eorum tenebantur, ne eum adgnoscerent. 17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, et estis tristes? 18. Respondit unus, ex ipsis nomine Cleofas, et dixit illi: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, non cognouisti, quae facta sunt in illa in his diebus? 19. Quibus ille dixit: Quae? Et dixerunt: de Jesu Nazareo, qui fuit propheta, potens in opere et sermone coram deo et omni plebe, 20. quomodo hunc tradiderunt principes sacerdotum et omnis populus in damnationem mortis et cruci eum fixerunt. 21. Nos uero sperabamus ipsum esse, qui redempturus esset Istrahel; et nunc tertia dies est hodie, quod haec facta sunt. 22. Et in his omnibus mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, 23. et non inuento corpore eius uenerunt, dicentes se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicunt eum uiuere. 24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum et ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum uero non uiderunt. 25. Et ipse dixit ad eos: O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae. 26. Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? 27. Et erat incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpraetans illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant. 28. Ed adpropriauerunt castello quo ibant, et ipse finxit se longius ire. 29. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam ad uesperum iam declinauit dies. Et intrauit cum illis et mansit. 30. Et factum est, dum recumbit cum illis, accepit panem, et benedixit ac fregit et porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognouerunt eum, et inuisus factus est eis. 32. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum erat in nobis ardens in uia, cum aperiret nobis scripturas? 33. Et surrexerunt ipsa hora et regresssi sunt in Hierusalem et inuenerunt congregatos undecim et eos, qui cum illis erant, dicentes: 34. Quod resurrexerit dominus et uisus est a Simone. 35. Et ipsi narrabant, quae gesta erant, et quomodo cognouerunt eum in fractione panis. 36. Dum haec autem locuntur illi, ipse stetit in medio eorum. 37. Conturbatique et conterriti existimabant se spiritum uidere. 38. Dixit autem ad illos: Quid turbati estis? et quare cogitationes ascenderunt in corde uestro? 39. Uidete, ecce manus meas et pedes

meos, quia ego sum ipse; palpate et uidete, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me uidetis habere. 41. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio dixit: Habetis aliquid hic, quod manducetur? 42. Ad illi optulerunt ei partem piscis assam et de fabo. 43. Et manducans coram ipsis dixit ad eos: 44. Haec sunt uerba, quae locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est suppleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me. 45. Tunc aperuit illis sensum, ut intellegerent ea, quae scripta sunt. 46. Et dixit eis: quoniam sic scriptum est: Christum pati et resurgere a mortuis, 47. et praedicari in nomine eius paenitentiam et remissa peccatorum in omni gente incipientibus ab Hierosolyma. 48. Uos autem estis testes horum. 49. Et ego mitto promissa patris mei in uobis; uos autem sedete in ciuitate quoadusque induamini uirtutem ab alto. 50. Eduxit autem eos foris in Bethaniam, et eleuatis manibus suis benedixit eos. 51. Et factum est, dum benedixit illos, recessit ab eis. 52. Et ipsi regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. 53. Et erant semper in templo laudantes.

Secundum Lucan. explicit. Incipit secundum Marcum.

(Euangelium secundum Marcum.)

I. *1. Initium Euangelii Jesu Christi filii dei, sicut scriptum est in Eseia propheta: 2. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparauit uiam tuam. 3. Uox clamántis in deserto: parate uiam domini, rectas facite semitas dei nostri; 4. fuit Johannes in deserto baptizans et praedicans baptismum paenitentiae in remissionem peccatorum. 5. Et egrediebantur ad illum omnis Judaea regio et Hierosolymitae uniuersi et baptizantur ab eo in Jordanen confitentes peccata sua.* 6. Et erat Johannes uestitus pilos camelli, et lucustas et mel siluestre edebat. Hic praedicabat dicens: 7. Quoniam uenit fortior post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius. 8. Ego baptizo uos in aqua; ille autem baptizauit spiritu sancto. 9. Et factum est in diebus illis, uenit Jesus a Nazaret Galilaeae, et baptizatus est in Jordanen ab Johannen. 10. Ascendens autem de aqua uidit apertos caelos et spiritum tamquam columbam descendentem et manentem in eo. 11. Et uox de caelo facta est: Tu es filius meus dilectus in quo bene placuit mihi. 12. Et statim spiritus expulit illum in deserto. 13. Et erat in deserto XL. diebus et temptabatur a satanan et erat cum bestiis, et angeli ministrabant ei. 14. Sed postquam traditus est Johannes, uenit Jesus in Galilaeam praedicans euangelium dei et dicens: Quoniam impleta sunt tempora et adpropiauit regnum dei; paenitentiam agite et credite euangelio. 16. Et praeteriens secus mare Galilaeae uidit Simonem et Andream, fratrem eius mittentes retia in mare (erant enim piscatores). 17. Et ait illis Jesus: Uenite post me, et faciam uos piscatores hominum. 18. Et confestim relictis omnibus secuti sunt illum. 19. Et progressus pusillum uidit Jacobum Zebedaei et Johannen fratrem eius, et ipsos in nauicula conponentes retia, 20. et uocauit eos. Ad illi relicto patre tsuo Zebedaeo cum mercennariis secuti sunt eum. 21. Et introierunt

Capharnaum sabbato, et confestim ingresus in synagogam docebat illos. 22. Et stupebant super doctrina eius, erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut scribae. 23. Erat autem in synagoga homo, qui habebat spiritum immundum; 24. et clamabat dicens: quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? uenisti perdere nos; scio te, qui sis sanctus dei. 25. Et imperauit illi et dixit: Ommutesce et exi de homine, spiritus immunde. 26. Et concussit eum spiritus immundus et clamans uoce magna exiit ab eo. 27. Mirabantur autem omnes et conquirebant, quae esset doctrina ista cum potestate? et quia spiritibus immundis imperat, et obaudiunt eum. 28. Et exiit rumor hic ubique circa regiones Galilaeae. 29. Egressus autem continuo de synagoga uenit in domum Simonis et Andreae cum Jacobo, et Johanne 30. Jacebat autem socrus Simonis febricitans, et dicunt ei de illa. 31. Ille autem uenit, et extendens manum, adprehendit eam et leuauit et remisit illam statim febris, et ministrabat illis. 32. Cum autem sol occidisset, ferebant ad eum omnes male habentes uariis languoribus et eos, qui habebant daemonia, et eiciebat daemonia ab eis: 33. et erat omnis ciuitas congregata ad fores. 34. Et sanauit multos male habentes languoribus uariis, nec patiebatur ea loqui, quoniam nouerant eum. 35. Et diluculo surgens abiit in desertum locum, ibique orabat. 36. Et subsecuti sunt eum Simon, et qui cum eo erant, dicentes illi: 37. quoniam quaerunt te omnes 38. Et ait illis: Eamus in castella confinia et ciuitates praedicare, ad hoc enim ueni. 39. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae itemque daemonia expellens. 40. Et uenit ad illum leprosus depraecans eum et dicens: si uis potes mundare me. 41. Et extendens manum ei dixit: uolo, mundare. 42. Et discessit ob eo lepra. 44. Et ait illi: Uide, nemini dixeris; sed demonstra te sacerdoti, et offer pro purgatione tua quae praecepit Moyzes in testimonium illis. 45. Ipse autem egressus coepit praedicare et diffamare sermonem ita ut iam non posset palam in ciuitate introire, sed foras in deserta loca ueniebant ad illum.

II. 1. Et iterum benit Capharnaum post dies; et auditum est quod in domo esset, 2. et conuenerunt multi, ita ut iam nec ad ianuam caperet, et loquebatur ad eos uerbum. 3. Et ueniunt ad illum ferentes paralyticum in grabatto. 4. Et cum accedere non possent prae multitudine, detexerunt tectum, ubi erat, et summiserunt grabbatum in quo paralyticus iacebat. 5. Cum uidisset autem Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, remissa sunt tibi pecata. 6. Erant autem ibi quidam de

scribis sedentes et cogitantes in cordibus suis dicentes: 7. Hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus deus: 8. Quo cognito Jesus in spiritu, quid cogitarent intra se, dixit illis: quid cogitatis in cordibus uestris? quid est facilius? dicere paralytico: remissa sunt peccata tua, aut dicere: Surge et ambula? 10. Ut sciatis, quoniam potestatem habet filius hominis remittendi peccata, (ait paralytico): 11. Surge, tolle grabbatum et uade in domum tuam. 12 Ipse autem surgens tulit grabattum coram omnibus et abiit, ita ut mirantes honorificarent deum, quoniam taliter non talia uiderant. 13. Et exiit iterum secus mare, omnisque turba ueniebat ad eum et docebat eos. 14. Et cum praeteriret uidit Jacobum Alfei sedentem ad teloneum et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum. 15. Et factum est discumbentibus illis in domo, multi publicani et peccatores simul recumbebant cum Jesu et discipulis eius; erant enim multi qui et secuti sunt eum. 16. Et scribae Pharisaeorum ut uiderunt quoniam manducat cum peccatoribus et publicanis, dicebant discipulis illius: quare cum publicanis et peccatoribus manducat? 17. Et cum audisset Jesus, ait: non egent fortes medicos, sed qui male habent; non ueni uocare iustos sed peccatores. 18. Et erant discipuli Johannis et Pharisaei ieiunantes; et ueniunt et dicunt ei: quare discipuli Pharisaeorum et Johannis ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? 19. Et ait illis: numquid possunt filii nuptiarum, quandiu cum illis est sponsus, ieiunare? 20. Uenient dies, cum tolleretur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus. 21. Nemo commissuram panni noui assuit uestimento ueteri, alioquin tollit supplementum nouum a uetere et peior fit scissura. 22. Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres, sed in nouos; alioquin dirumpet utres et uinum et utres peribunt. 23. Et factum est cum sabbatis ambularet per segetes, discipuli eius coeperunt uellere spicas. 24. Pharisaei autem dicebant illi: ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis, quod non licebat eis? 25. Et ait illis: Non hoc legistis, quid fecerit Dauid, cum necessitatem habuit et esuriit et qui cum illo erant? 26. Quomodo intrauit in domum dei et manducauit panes propositionis et dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus? 27. Dico autem uobis, quia sabbatus propter hominem factus est, non homo propter sabbatum. 28. Quia dominus est filius hominis etiam sabbati.

III. 1. Et cum introisset iterum in synagogam, uenit ad illum homo manum aridam habens. 2. Et obseruabant eum, si sabbato curaret, ut accusarent illum. 3. Et ait homini qui habebat manum ari-

dam: surge in medium. 4. Et dixit ad illos: Licet sabbatis aliquid benefacere an male? animam saluam facere an perdere? Ad illi tacebant. 5. Et circumspiciens eos cum ira indi . . . in caecitate cordis eorum, ait homini: Extende manum tuam. Et extendit et restituta est manus eius sicut alia. 6. Exierunt autem Pharisaei cum Herodianis et consilium faciebant ut illum perderent. 7. Jesus uero secessit cum discipulis suis ad mare, et multa turba a Judaea et Galilaea, 8. et ab Hierosolymis et ab Idumaea ac e trans Jordanen et a Tyro et a Sidone sequebantur illum, audientes quanta faciebat. 9. Et dixit discipulis suis, ut nauicula deseruiret sibi propter turbam, ne eum comprimerent. 10. Multos enim curabat, ita ut inruerent in eum, ut illum tangerent, quicumque habebant plagas. 11. Sed et spiritus immundi, cum uiderent illum, procedebant ante ei et clamabant dicentes: Hic est filius dei. 12. Et increpabat illos, ne eum manifestarent, quoniam sciebant eum. 13. Ascendens autem in montem, uocauit ad se, quos uoluit ipse, et uenerunt ad illum. 14. Et fecit XII., ut secum essent, ut mitteret eos praedicare euangelium. 15. Et dedit illis potestatem curandi ualetudines et eicere daemonia. 16. Et imposuit Simoni nomen Petrus, et Jacobum Zebedaei, et Johannen fratrem Jacobi, communiter autem uocauit illos Boanerges, quod est filii tonitrui. 18. Erant autem hi: Simon et Andreas, Jacobus et Johannes, Philippus et Bartolomeus, Mattheus et Thomas, Jacobus Alphei et Lebbaeus, Simon Cananeus 19. et Judas Scarioth, qui tradidit illum. 20. Et uenit iterum in domum et conuenit turba, ita ut non possent nec panem quidem manducare. 21. Quod ut audierunt de illo scribae et caeteri, exierunt ut tenerent illum, dicebant enim quoniam exsentiat eos. 22. Et scribae qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant quod belsebul habet, principem daemoniorum, et per illum expellit daemonia. 23. Et conuocauit eos et ait Jesus in parabolis: quomodo potest satanas satanan expellere? 24. Et: si regnum in se diuidatur, non potest stare. 25. Et: si domus in semetipsa diuidatur, stare non potest domus illa. 26. Et: si satanas satanan eicit, dispertitus in se, non poterit stare regnum eius. 27. Nemo potest uasa eius, qui fortis est, diripere ingressus in domum, nisi prius ipsum fortem alligauerit, et tunc domum eius diripiet. 28. Amen dico uobis, quod omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiae; 29. qui autem blasphemauerit spiritum sanctum, non habet remissionem, sed reus est aeterni delicti. 30. Quia dicebant eum spiritum immundum habere. 31. Et uenit mater eius et fratres eius forisque stantes, miserunt ad illum uocantes eum, 32. et sedebat ad illum turba, et dicunt ei:

Ecce mater tua et fratres et sorores tuae foris stant quaerentes loqui tecum. 33. Ad iller espondit et dixit: Quae est mater mea? et fratres mei? 34. Et circumspiciens eos, qui in circuitu sedebant, ait: ecce mater et fratres mei. 35. Qui fecerit uoluntatem dei, hic mihi frater et soror et mater est.

IV. 1. Et coepit iterum docere ad mare; et congregata est ad eum turba multa, ita ut in nauem ascendens sederet ad litus, adque omnis turba in littore erat; 2. et docebat eos in similitudinibus dicens: 3. audite, ecce exiuit seminator seminare. 4. Et cum seminat, aliut cecidit circa uiam, et uenerunt aues et manducauerunt illud. 5. Aliud cecidit supra petrosa, et quia non habebat terram multam, exortum est, et cito arruit ab aestu, quia non habebat radicem. 7. Aliud cecidit supra spinas, et ascenderunt spinae et suffocauerunt eum et fructum non dedit. 8. Et aliut cecidit in terram bonam et dat fructum ascendentem et increscentem et adferet unum XXX. et unum LX. et unum centensimum. 9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi audiat; et intellegens intellegat. 10. Et cum esset singularis, interrogabant illum discipuli eius, quae esset similitudo ista? 11. Et ait illis: Uobis datum cognoscere mysterium regni dei; illis autem, qui foris sunt, in parabolis dicitur, ut uidentes uideant et non aspiciant, 12. et audientes audiant et non intellegant: nequando conuertantur et remittatur illis. 13. Et ait illis: Nescitis hanc similitudinem, et quomodo omnes similitudines scietis? 14. Qui loquitur uerbum seminat. 15. hi autem sunt qui iuxta uiam seminantur, qui negligenter uerbum suscipiunt, et cum audierint, confestim uenit satanas et tollit uerbum, quod seminatum est in corde illorum. 16. Et hi sunt qui supra petrosa seminati sunt, qui cum audierint uerbum, statim cum gaudio accipiunt illud. 17. et non habent in se radicem, sed temporanei sunt, deinde orta tribulatione aut persecutione, statim propter uerbum scandalizantur. 18. Et alii qui in spinas seminati sunt, hi sunt, qui beruum audiunt, 19. et per sollicitudines uitae et in errore saeculi simul euntes, suffocant uerbum et sine fructu efficiuntur. 20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt uerbum et eum excipiunt et fructificant unum XXX. et unum LX. et alium centensimum. 21. Dicebat autem illis. Numquid adfertur lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto? sed ut supra candelabrum ponatur? 22. Non enim est absconditum, sed ut manifestetur; nec factum est occultum, sed ut in palam ueniat. 23. Qui habet aures audiendi audiat. 24. Et dicebat illis: Uidete, quid audiatis! in qua

enim mensura metieritis, et demensurabitur uobis 25. Qui enim habet, dabitur illi, et qui non habet, et quod habet, auferetur ab illo. 26. Et dicebat: Sic est regnum dei, quemadmodum si homo mittat semen in terram, 27. et dormiat et surgat nocte et die, et semen germinet et increscat, dum nesciat. 28. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. 29. Cum fructum ediderit, sic mittit falcem, quoniam adest messis. 30. Et dicebat: quomodo simile dicemus regnum dei? Aut in qua similitudine ponemus? 31. Sicut granum sinapis quod seminatum super terram, cum sit minus omnium seminum, 32. crescit autem et fit arbor maius omnium holerum et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aues caeli inhabitare. 33. Et aliis parabolis loquebatur ad illos, qualiter poterant audire, 34. sine parabolis autem non loquebatur ad illos; secreto autem discipulis suis exsoluebat omnia. 35. Et ait illis in illa die, cum sero factum esset: transeamus contra. 36. Et dimiserunt turbam et acceperunt eum, ita ut erat in nauicula et multae naues simul erant cum illo. 37. Et facta est procella magna uenti, et fluctus mittebat in nauiculam, ita ut impleretur nauis. 38. Erat autem ipse in puppe supra puluinum dormiens: et excitantes eum dixerunt ei: magister, non est tibi cura, eo quod perimus? 20. Et exurgens imperauit uento et mari et ait; Ommutesce. Et cessauit uentus, et facta est tranquillitas magna. 40. Dixitque illis: quid timidi estis? nondum enim habetis fidem? Et timuerunt timore magno, et ad inuicem dicebant: Ecce, quomodo mare et uenti obaudiunt eum.

V. 1. Et uenerunt trans fretum in regionem Gerasenorum. 2. exeunte ipso de nauicula, obuiauit ei homo de monumento, spiritum immundum habens, 3. et habebat habitationem in monumento, et neque catenis iam quisquam poterat ligare, 4. quia saepe iam alligatus compedibus et catenis, disruperat a se catenas et compedes confregit, set nec quisquam ualebat eum domare. 5. Nocte autem ac die in montibus et monumentis erat clamans et lapidibus se collidens. 6. Uidens autem a longe Jesum, adcurrit et adorauit eum et clamans uoce magna dixit: 7. Quid mihi et tibi, Jesu, fili dei altissimi, precor te per deum, ne me torqueas. 8. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde de hoc homine. 9. Et interrogabat eum: quod tibi nomen est? At ille respondit: legio nomen est mihi, quia multi sumus. 10. Et rogabat eum multum, ne eum expelleret foras de illa regione. 11. Erat autem ibi iuxta montem grex porcorum pascentium. 12. Et depraecabantur illum spiritus illi dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introemus. 13. Et permisit illis. Intrauerunt autem in porcos spiritus illi immundi, et fecerunt impetu ire graegem per praeceps et cecideruntin mari fere duo milia, et suffocati sunt. 14 Hi uero qui eos pascebant, fugerunt et nuntiauerunt in ciuitate et in agris. Et egressi sunt ut uiderent, quid sit factum, et uenerunt ad Jesum, 15. et uidentes eum, qui a daemonio uexabatur, sedentem uestitum ac suae mentis et timuerunt. 16 Narrauerunt etiam illis qui uiderant, qualiter factum esset ei, qui daemonium habuerat et de porcis. 17. Et coeperunt depraecari eum, ut recederet a regionibus eorum. 18. Et ascendente eo in naue, rogabat eum, qui a daemonio fuerat uexatus, ut esset eum eo. 19. Jesus autem non sinuit eum, sed ait illi: Uade domum ad tuos et renuntia illis, quanta tibi dominus fecit, et quod misertus est tui. 20. Et abiit et coepit praedicare in Decapoli, quanta sibi fecit Jesus, et omnes mirati sunt. 21. Et cum transfretasset Jesus contra, rursum conuenit turba multa ad illum iuxta mare. 22. Et uenit unus de principibus synagogae nomine Jairus, et uidens eum, procidit ad pedes eius, 23. rogans eum et dicens: Quoniam filia mea in extremis est; ueni, tange illam de manibus, tuis ut salua sit et uiuat. 24. Et abiit cum illo, et turba eum sequebatur multa et comprimebant illum. 25. Et mulier quae erat in profluuio sanguinis ab annis XII., 26. quae plurima passa erat a multis medicis et erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed peius habebat, 27. audito de Jesu, uenit retro in turba et tegitit uestimentum eius, dicens: Si uel uestimentum eius tetigero, salua ero. 29. Et continuo siccatus est fons sanguinis eius et intellexit corpore suo, quia sanata est. 30. Cognito autem Jesus uirtutem, quae exierat de se et conuersus dixit ad turbam: quis tetigit uestimenta mea? 31. Dicunt ei discipuli eius: Uides turbam comprimentem te, et dicis: quis tetigit uestimenta mea? 32. Ipse autem cum circumspexisset, ut uideret quis hoc fecisset, 33. mulier timens et tremens procidit ante illum et dixit ei omnem ueritatem. 34. Jesus autem ait illi: Filia, fides tua te saluam fecit, uade in pace, et esto a plaga tua sana. 35. Adhuc illo loquente ueniunt ad principem synagogae dicentes ei: Filia tua mortua est, quid iam uexas magistrum? 36. Jesus uero audito, ait ad principem synagogae: Noli timere, tantum crede. 37. Et non admisit quemquan sequi se, nisi Petrum et Jacobum et Johannen fratrem Jacobi. 38. Et ueniunt in domum Archisynagogae et uident turbam flentem ac lamentantem, 39. Et ingressus ait: Quid turbamini? et quid ploratis? puella non est mortua, sed dormit. 40. Ad illi de-

ridebant eum. Ipse uero eiecta turba foris adsumpto patre et matre puellae et his, qui secum erant, introiit ubi erat puella. 41. Et tenens manum eius ait illi: Thabitha cumi, quod est interpraetatum: puella, tibi dico surge. 42. Et confestim surrexit puella et ambulabat, erat autem annorum XII., et obstupuerunt pauore magno. 43. Et praecepit illis, ut nemo istut agnosceret, et iussit illi dari manducare.

VI. 1. Et egressus inde abiit in patriam suam cum discipulis suis, 2. ibique coepit in synagoga docere sabbato, ita ut mirarentur in doctrina eius dicentes: Unde huic ista? et quae est haec sapientia, quae data est illi? et ut uirtutes tantae per manus eius perficiuntur? 3. Nonne hic est fabri filius et Mariae? frater Jacobi et Joseph et Judae, et Simonis? Nonne sorores eius hic sunt nobiscum? Et scandalizabantur in illo. 4. Et dicebat illis Jesus, quia non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in genere suo, et in domo sua. 5. Et non faciebat ibi ullam uirtutem, nisi paucos infirmos curauit 6. inponens eis manus propter incredulitatem illorum. Et circuibat castella in circuito docens. 7. Et conuocatis XII. discipulis, misit illos binos, data illis potestate spirituum immundorum, 8. praecipiens nihil tollere, nisi uirgam tantum, non peram, non panem, neque aes in zonis, 9. sed calciatos sandaliis, et ne induerentur duas tunicas. 10. Et ait illis: Ubicumque introieritis in domum, ibi manete, donec exeatis inde, 11. et quicumque non receperint uos, neque audierint uos, exeuntes inde, excutite puluerem pedum uestrorum in testimonium illis. 12. Et exeuntes praedicabant, ut paenitentiam agerent; 13. et aliqui ex illis multa daemonia expellebant et unguentes oleo multos aegros sanaueruut. 14. Audiuit autem Herodes rex (notum enim factum est nomen eius) et dicebant: Quod Johannes Baptista surrexit a mortuis, et propterea operantur uirtutes in eo. 15. Alii autem dicebant: quod Helias est, alii uero, quod unus ex prophetis. 16. Quod ut audiuit Herodes, ait: Quem ego decollaui, ipse est Johannes, hic surrexit a mortuis. 17. Ipse Herodes misit et tenuit Johannen et alligatum illum misit in carcerem propter Herodiaden uxorem fratris sui Philippi, quia duxerat eam uxorem. 18. Dicebat enim Johannes Herodi: quia non licet tibi habere uxorem fratris tui. 19. Herodias autem insidiabatur ei, et quaerebat eum occidere, et non poterat. 20. Herodes autem timebat Johannen, sciens illum uirum: iustum et sanctum et adseruabat eum. Et audiens illum, (quia) multa faciebat, et libenter eum audiebat. 21. Facta autem opportuna die Herodes natali sua cenam fecit principibus et tribunis et primis Galileae. 22.

Et cum intrasset filia Herodiadis et saltasset et placuisset Herodi et his qui simul recumbebant, dixit rex puellae: Pete a me, quod uis, et dabo tibi; 23. et iurauit illi mulieri: quia quodcumque petieris, dabo tibi, etiam si dimidium regni mei. 24. Exiit autem puella et ait matri suae: Quid uis ut petam? Ad illa dixit: Caput Johannis Baptistae. 25. Cumque intrasset ad regem ait: Confestim da mihi super discum caput Johannis Baptistae. 26. Et contristatus rex propter iuramentum, et propter simul recumbentes noluit negare, 27. et confestim mittens speculatore (sic) iussit auferri caput eius. Isque abiit et decollauit eum in carcere, 28. et attulit caput eius in disco et dedit puellae, puella autem dedit illud matri suae. 29. Quo audito discipuli eius uenerunt et tulerunt corpus eius et posuerunt illud in monumento. 30. Et conuenerunt apostoli ad Jesum et renuntiaueruut omnia, quae fecerant et docuerant. 31. Et ait illis Jesus: Uenite uos secreto in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui ibant ac redibant multi, et nec manducandi spatium habebant. 32. Et abierunt in desertum locum secreto. 33. Quos ut uiderunt euntes, cognouerunt multi et pedestres ab omnibus ciuitatibus concurrerunt ibi et conuenerunt illuc. 34. Egressus autem ut uidit multam turbam Jesus, misertus est super eos, qui erant uelut oues non habentes pastorem, et coepit docere illos multa. 35. Et cum iam hora fieret, accesserunt discipuli eius dicentes ei: Quia desertus locus est, et hora iam praeteriit, et quia multae turbae sunt, 36. dimitte illos, ut euntes in proximas uillas et castella emant sibi panem, quod manducent, quia hic non habent. 37. Et respondens dixit illis: date illis uos manducare. Et dicunt ei: Ibimus et ememus denariis ducentis panes et dabimus illis, ut manducent. 38. Ait illis Jesus: Quot panes habetis? Ite, uidete. Quo cognito dicunt ei: Quinque et duos pisces. 39. Et praecepit illis Jesus, ut discumberent omnes secundum contubernia supra uiridem faenum. 40. Et discubuerunt in partes per centenos et per quinquagenos. 41. Et acceptis Jesus quinque panibus et duobus piscibus inspiciens in caelum benedixit, et fregit illos quinque panes et dedit discipulis suis ut ponerent ante illos, et duos pisces diuisit similiter omnibus. 42. Et manducauerunt omnes et saturati sunt. 43. Et tulerunt fragmentorum cophinos XII plenos necnon de piscibus. 44. Erant autem qui manducauerunt V. milia uirorum. 45. Et statim exurgens coegit discipulos suos ascendere in nauicula et praecedere se trans fretum a Bedsaida, ipse autem dimisit turbam: 46. Et profectus ab eis, abiit in montem ut oraret. 47. Et cum sero esset iam factum, erat enim longe nauicula in medio mari et ipse

solus in terra 48. Et cum uideret illos remigantes et laborantes (uentus autem illis contrarius erat) circa quartam autem uigiliam noctis uenit ambulans supra mare et uolebat praeterire eos. 49. Ad illi ut uiderunt eum ambulantem supra mare, putauerunt fantasma esse et exclamauerunt omnes, 50. et conturbati sunt, et confestim locutus est illis dicens: Constantes estote, ego sum, nolite timere. 51. Et ascendit ad eos in nauiculam et cessauit uentus. Et abundantius intra se et stupebant et mirabantur; 52. non enim intellexerant de panibus, cor autem illorum obtusum erat. 53. Et transfretantes inde uenerunt in terram Gennesar. 54. Et cum exissent de naui, continuo cognouerunt illum; 55. et circum currentes uniuersam confinem regionis illius. coeperunt in grabattis adferre omnes male habentes, circumferebant autem illos, ubicumque audiebant esse Jesum. 56. Et quodcumque iret in castellis, uel uillis, uel ciuitatibus, in plateis, ponebant uniuersos et infirmos, et rogabant eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent, et quicumque tangebant, salui fiebant.

VII. 1. Et conuenerunt ad eum Pharisaei et quidam de scribis, qui uenerant ab Hierosolymis. 2. Cum uiderent quosdam ex discipulis eius non lotis manibus manducare panem. 3. Pharisaei autem et omnes Judaei, nisi subinde lauerint manus, non manducant panem tenentes traditionem seniorum. 4. Et a foro cum uenerint, nisi baptizentur, cibum non capiunt et alia multa sunt, quae acceperunt tenere, ut baptizent calices et urceos et aeramenta et lectos. 5. Et interrogabant eum Pharisaei et scribae: Quare discipuli tui non ambulant secundum traditionem seniorum, sed inlotis manibus edunt panem? 6. Ad ille respondens dixit: Quoniam bene prophetauit Eseias de uobis, hypocritis, qui dixit: plebs haec labiis me diligit, cor autem eorum longe est a me. 7. Sine causa autem me colunt docentes doctrinas praecepta hominum. 8. Baptismos catinum et orciolum et alia similia multa huiusmodi facitis, relicto praecepto dei, tenentes traditiones hominum. 9. Et dicebat illis: bene irritum facitis mandatum dei, ut traditionem uestram statuatis. 10. Moyzes autem dixit: honora patrem tuum et matrem tuam, et: qui maledixerit patrem aut matrem, morti moriatur. 11. Uos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri: Corban (quod est munus) quodcumque ex me tibi proderit, 12. iam non dimittitis eum quicquam facere patri aut matri, 13. infirmantes uerbum dei per traditionem uestram stultam, quam tradidistis, et similia ista multa facitis. 14. Et aduocatis iterum turbis, dicebat illis: audite me omnes et intellegite. 15. Nihil est a foris

hominis, quod intrat in eum, quod possit illum coinquinare; sed quae de homine proficiscuntur, illa sunt, quae coinquinant hominem. 16. Si quis habet aures audiendi, audiat. 17. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli eius parabolam. 18. Et ait illis: sic et uos imprudentes estis? Non intellegitis, quod omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum coinquinare; 19. nec enim introiit in cor eius, sed in uentrem et in secessum exiit, purgans omnes escas. 20. Dicebat autem, quoniam quae de homine exeunt, illa communicant hominem. 21. Ac intus enim de corde hominum cogitationes malae procedunt, adulteria, 22. furta, fornicationes, homicidia, auaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemiae, superbia, stultitia. 23. Omnia haec mala ab intus procedunt et communicant hominem. 24. Et exurgens abiit in fines Tyrii et ingressus domum, neminem uoluit scire et non potuit latere. 25. Mulier enim statim ut audiuit de eo, cuius habebat filia spiritum immundum, intrauit ad eum. 26. Erat autem Graeca Syrofoenissa genere. Et rogabat eum, ut daemonium eiceret de filia eius. 27. Qui dixit illi: sine prius saturari filios, non est enim bonum accipere panem filiorum et mittere illum catellis. 28. Ad illa respondens ait ei: domine, sed et catelli sub mensa manducant de micis puerorum. 29. Et ait illi: uade, propter hunc sermonem contingat tibi de filia tua ut cupis. 30. Et cum abisset domum inuenit puellam iacentem supra lectum, et daemonium exisse ab ea. 31. Et iterum exiens de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galileae inter medios fines Decapoleos. 32. Et adferunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponeret illi manum. 33. Et suscipiens eum de turba seorsum, expuens misit digitos suos in auriculas et tetigit linguam eius. 34. et suspiciens in caelum, ingemuit et ait illi: Effeta, quod est adaperire. 35. Et apertae sunt aures eius, et solutum est uinculum linguae eius et loquebatur confidenter. 36. Et praecepit illis ne cui dicerent. 31. Ad illi magis tantum praedicabant et eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, et surdis praestat auditum et mutis eloquium.

VIII. 1. In illis autem diebus iterum cum turba multa esset, et nec haberent, quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super istam turbam, quoniam triduum iam est, ex quo hic sunt, nec habent quod manducent, 3. et dimittere eos ieiunos nolo, ne fatigentur in uia, quoniam quidem aliqui de longe uenerunt. 4. Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis potest saturare panibus in solitudine ista? 5. Et interrogauit eos: Quot panes habetis?

Qui dixerunt: Septem. 6. Et praecepit turbae discumbere supra terram; et accipiens VII panes, gratias agens, benedixit, fregit et dedit discipulis suis, ut adponerent, ed adposuerunt turbis. 7. Habuerunt autem et duos pisciculos et ipsos benedixit et iussit adponi. 8. Et manducauerunt et saturati sunt, et sustulerunt, quod superauerat, septem sportas fragmentorum. 9. Erant autem, qui manducauerant ad quattuor milia hominum, et dimisit eos. 10. Et ipse ascendens nauem cum discipulis suis uenit in partem Magedam. 11. Exierunt autem Pharisaei et coeperunt conquirere cum eo quaerentes ab illo signum de caelo, temptantes eum. 12. Et ingemens in spiritu ait: Quid generatio quaerit signum? Amen dico uobis, si dabitur generationi isti signum. 13. Et missum faciens illos, et adscendens nauem abiit, 14. et obliti sunt emere panes, et nihil amplius habebant, nisi unum panem, quem secum habebant in naue. 15. Et praecepit eis dicens: Uidete a fermento Pharisaeorum et fermento Herodis. 16. Et cogitabant ad alterutrum, quod panes non haberent. 17. Quo cognito ait illis Jesus: Quid cogitatis in cordibus uestris, quia panes non habetis? nondum intelligitis, nec perspicitis? sic obtusa sunt corda uestra? 18. oculos habentes, non uidetis? et aures habentes, non auditis? Nec meministis de V panibus, 19. quos fregi in quinque milia hominum? ex quibus quot cophinos fragmentorum tulistis? Ad illi dixerunt VII. 21. Et ait illis: quomodo non intellexistis? 22. Et uenerunt Betsaidam, et adferunt ei caecum, et rogauerunt eum, ut illum tangeret. 23. Et adprehendit manum caeci et duxit eum extra uicum, exspuens in oculos eius et impositis manibus illi, interrogabat illum, si aliquid uideret. 24. Et aspiciens ait: Uideo homines uelut arbores ambulantes. 25. Et iterum imposuit manus super oculos eius, et impositis manibus, coepit uidere et restitutus est, ita ut uideret clare omnia. 26. Et dimisit illum in domum suam dicens: Uade in domum tuam, et si in uico introieris, nemini dixeris. 27. Et profectus est Jesus et discipuli eius in Caesarea Philippi, et interrogabat discipulos suos in uia dicens: quem me dicunt homines esse? 28. Responderunt illi dicentes: Johannen Baptistam, alii Eliam, alii uero quasi unum ex prophetis. 29. Tunc dicit illis: Uos uero, quem me dicitis esse? Et respondens Petrus ait ei: Tu es Christus Jesus filius dei uiui. 30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. 31. Et coepit docere illos, quoniam oportet filius hominis omnia pati et reprobari a senioribus et a summis sacerdotibus et occidi et post tres dies resurgere. 32. Et palam uerbum loquebatur. Quem suscipiens Petrus, coepit increpare dicens: domine propitius esto, nam hoc non

erit. 33. Ad ille conuersus uidens discipulos suos comminatus est Petro dicens: Uade retro me, satanas, quoniam non sapis ea quae dei sunt, sed quae sunt hominum 34. Et conuocata turba cum discipulis suis dixit: Si quis uult sequi post me, deneget se et tollens crucem suam sequatur me. 35. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter euangelium, saluam faciet eam. 36. Quid enim proderit homini, si lucretur uniuersum mundum et detrimentum faciat animae suae. 37. Aut quid dabit homo commutationem pro anima sua? 38. Qui autem me confusus fuerit et uerba mea in generatione hac adultera et peccatrice, tunc filius hominis confundet eum, cum uenerit in gloriam patris sui cum angelis sanctis. 39. Et dicebat illis: Amen dico uobis, quod sunt quidam de circumstantibus mecum, qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei ueniens in uirtutem.

IX. 1. Et post dies VI adsumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Johannen et duxit illos in montem altissimum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. 2. Et uestimenta eius facta sunt splendida uelut nix, qualia quis non potest facere super terram. 3. Et apparuit illis Helias cum Moysen, et erant loquentes cum Jesu. 4. Et respondens Petrus ad Jesum dixit: rabbi, bonum est nobis hic esse; uis, faciam tria tabernacula: tibi unum et Moysi unum et Heliae unum. 5. Non enim sciebat, quid diceret, timore enim perterriti erant. 6. Et facta est nubs subumbrans illos, et uenit uox de nube dicens: Hic est filius meus carissimus, hunc audite. 7. Et circumspicientes neminem amplius uiderunt, nisi Jesum tantum secum. 8. Et descendentibus illis de monte, praecepit illis, ne cuiquam quae uididssent narrarent, nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit. 9. Et uerbum hoc retinuerunt aput semetipsos conquirentes, quidnam esset hoc cum a mortuis resurrexisset? 10. Et interrogabant eum dicentes: Quia dicunt scribae: Heliam oportet primum uenire. 11. Respondens autem dixit illis: Helias, cum uenerit primo, restituet omnia, et quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur. 12. Sed dico uobis, quia et Helias uenit et fecerunt illi quaecumque uoluerunt, sicut scriptum est de eo. 13. Et ueniens ad discipulos uidens turbam magnam ad eos et scribas conquirentes cum illis. 14. Et confestim omnes multitudo uidentes Jesum, expauerunt et cadentes salutauerunt eum. 15. Et interragauit illos dicens: Quid inter uos conquiritis? 16. Et respondit ei unus de turba: Magister, adduxi filium meum ad te habentem spiritum immundum. 17. Qui

ubicumque eum adprehendiderit, allidet eum et spumat et stridet dentibus suis et arescit, et dixi discipulis tuis, ut eicerent illum, et non potuerunt eicere illum. 18. Et respondens dixit illis: O generatio incredula, quamdiu aput uos ero? quamdiu patiar uos? adferte illum ad me. 19. Et attulerunt eum; et cum uidisset illum spiritus immun dus, conturbauit puerum, et elisus in terram uolutabatur spumans. 20. Et interrogauit eum: quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit? 21. Ad ille respondit: Ab infantia. Et frequenter illum in ignem et in aquam mittit, ut eum perdat; sed si quid potes, subueni nobis, domine, misertus super nos. 22. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia (sunt) credenti. 23. Et continuo exclamans pater cum lacrymis ait: Credo, domine, adiuua incrudulitatem meam. 24. Et cum uideret Jesus, quod concurreret turba, comminatus est spiritui immundo dixitque illi: Surde immunde spiritus, ego tibi praecipio, exi ab illo et caue, ne introeas in eum. 25. Exclamans autem ille spiritus immundus, discerpens exiuit ab eo, et factus est infans, uelut mortuus, ita ut multi crederent eo quod mortuus esset. 26. Jesus autem tenens manum eius eleuauit illum et surrexit. 27. Cum autem introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum dicentes: Cur nos non potuimus eicere illum? 28. Et dixit illis Jesus: Hoc genus in nullo potest exire nisi in orationibus et ieiuniis. 29. Inde profecti transiebant in Galilaeam, nec uolebant quemquam scire. 30. Docebat autem discipulos suos et dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manibus hominum, et occident eum et occisus post tres dies resurget. 31. Ad illi ignorabant uerbum et timebant eum interrogare. 32. Et uenerunt Chapharnaum; qui cum domi essent, interrogabat illos: quid in uiam tractabatis? 33. Ad illi tacebant, inter se enim disquirebant, quis esset illorum maior. 34. Tunc consedit et uocauit XII et ait illis: si quis uult primus esse inter uos, fiat omnium nouissimus et omnium minister. 35. Et accipiens puerum, statuit illum in medium eorum; quem cum complexus esset ait illis: 36. Quisquis ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me repicit; et quicumque me susciperit, non me suscipit, sed eum, qui me misit. 37. Respondit illi Johannes et dicit ei: Magister, uidimus quendam in nomine tuo eicientem daemonia, qui non sequitur nos et prohibuimus eum. 38. Ad ille respondens ait: Nolite prohibere, nemo est enim qui faciat uirtutem in nomine meo, et poterit male loqui de me. 39. Qui enim non est aduersum uos, pro uobis est. 40. Quisquis enim potum dederit uobis calicem aquae frigidae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico uobis, quia non perdet mercedem

suam. 41. Et quicumque scandalizauerit unum ex his pusillis modicis credentibus, bonum est illi magis circumdaretur mola asinaria circa collum eius, et in mare mitteretur. 42. Et si scandalizat te manus tua, abscide illam et proice abs te; bonum est tibi debilem introire in uitam quam duas manus habentem ire in gehennam, 43. ubi est ignis inextinguibilis, ubi uermes eorum non morientur et ignis eorum non extinguetur. 44. Et si pes tuus scandalizat te, amputa illum, bonum tibi est claudum introire in uitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam, 45. ubi uermes eorum non morientur, et ignis eorum non extinguetur. 46. Quod si oculus tuus scandalizat te, exime illum, bonum est tibi luscum introire in regnum dei, quam duos oculos habentem mitti in gehenam. 47. ubi uermes eorum non morientur et ignis eorum non extinguetur. 48. Omnis enim uictima sale salietur. 49. Bonum est sal, quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in uobis salem, et pacem habete inter uos.

X. 1. Et inde exurgens uenit in fines Judaeae ultra Jordanen, et conuenit turba ad eum, sicut consueuerat, et iterum docebat illos. 2. Et interrogabant illum: si licet uiro uxorem suam dimittere temptantes eum. 3. Ad ille respondens dixit eis: Quid uobis praecepit Moyses? 4. Qui dixerunt: libellum repudii dare et dimittere. 5. Quibus respondens Jesus ait hoc: Ad duritiam cordis uestri scripsit praeceptum istut Moyses. 6. Ab initio enim masculum et feminam fecit deus et dixit: 7. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit ad uxorem suam; 8. et erunt duo in carne una; itaque iam non sunt duo, sed una caro. 9. Quod ergo deus coniuncxit, homo non disiungat. 10. Et in domum iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum. 11. Et dixit illis: Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. 12. Et si mulier exiet a uiro et alium nupserit, moechatur super illum. Similiter et qui dimissam ducit, moechatur. 13. Et offerebant illi pueros ut tangeret eos; discipuli autem comminabantur offerentibus, 14. quos cum uideret Jesus, indigne tulit et ait illis: Sinite pueros uenire ad me, et ne prohibueritis illos; talium enim est regnum dei. 15. Amen dico uobis: quisque non receperit regnum dei, uelut puer, non intrabit in illut. 16. Et conuitans eos, imponebat manum super illos et bene dicebat eos. 17. Et cum egressi essent in uia praecurrens quidam, adgeniculans rogans eum et dicens: Magister bone quid faciam, ut uitam aeternam percipiam? 18. Et Jesus dixit illi:

quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus ac solus deus. 19. Praecepta custodi: ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris; honora patrem tuum et matrem tuam. 20. Et ille respondens ait illi: Magister, omnia haec obseruabi a iuuentute mea. 21. Jesus autem intuens eum, osculatus est eum et dixit illi: Unum deest: uade, quaecumque habes, uende et da pauperibus, et habebis thensauros in caelo, et ueni, sequere me. 22. Et ille contristatus in hoc uerbo (et) abiit tristis; erat enim habens multas pecunias et agros. 23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: quam difficile, qui pecunias habent, regnum dei introibunt! 24. Facilius est camellum per foramen acus transire quam diuitem introire in regnum dei. 25. Discipuli autem eius pauebant in uerbis eius. Ad Jesus rursus ait illis: Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum dei introire! 26. Magis autem admirabantur dicentes ad semetipsos: Et quis poterit saluus fieri? 27. Et intuens illos Jesus ait: Aput homines hoc imposibile est, aput deum autem omnia possibilia sunt. 28. Et coepit Petrus ei dicere: Ecce nos missum fecimus omnia nostra et secuti sumus te. Quid nobis erit? 29. Respondens Jesus ait: Amen dico uobis: Nemo est qui reliquerit patrem aut matrem aut fratres aut sorores aut filios propter me et propter euangelium, 30. qui non accipiat centies tantum nunc in tempore; qui autem reliquerit domum, aut parentes et sorores et fratres et matrem et filios et agros in persecutionibus, in aeuo uenturo uitam aeternam accipiet. 31. Multi autem erant primi nouissimi et nouissimi primi. 32. Erant autem in uia ascendentes Hierosolyma et praecedebat eos Jesus, et pauebant. Et adsumens illos XII, coepit illis dicere, quae eius essent uentura; 33. quia ecce ascendimus Hierosolyma, et filius hominis tradetur summis sacerdotibus et scribis, et damnabunt eum morti et tradent eum gentibus, 34. et inludent eum et conspuent in eum et flagellabunt eum et interficient et post tres dies resurget. 35. Et accesserunt ad illum Jacobus et Johannes filii Zebedaei dicentes: Magister, uolumus quodcumque te petierimus, ut praestes nobis. 36. Ad ille dixit: quid faciam uobis? 37. Et dixerunt ei: da nobis, ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram sedeamus in gloriam tuam. 38. Jesus respondens ait illis: Nescitis quid petatis; potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, aut baptismum quod ego baptizor (sic), baptizari? 39. Ad illi dixerunt: possumus. Ait illis Jesus: Calicem quidem, quem ego bibero, bibetis, et baptismum, quod ego baptizor. baptizari; 40. sedere autem ad dexteram uel ad sinistram, non est meum dare: aliis paratum est. 41. Hoc audito ceteri decem

coeperunt indigne ferre de Jacobo et Johannen, 42. quos cum aduocasset Jesus, ait illis: scitis quod hi, qui uidentur principari gentibus, dominantur eorum, et principes eorum potestatem illorum habent. 43. Non ita est in uobis, sed quicumque in uobis maior esse uoluerit, uester erit minister, 44. et quicumque uoluerit in uobis primus esse, erit omnium seruus. 45. Nam et filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis. 46. Tunc uenit Jericho et proficiscente illo inde cum discipulis suis et plurima multitudine, filius Timeae Baritimeas caecus sedebat circa uiam mendicans. 47. Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus est, coepit clamare et dicere: Fili Dauid Jesu, miserere mei. 48. Et minabantur illi multi ut taceret. Ad ille multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mihi. 49. Et stans Jesus iussit illum uocari. Qui dicunt caeco: Animaequior (sic) esto, surge, uocat te. 50. Qui, proiecto uestimento suo, exiliens uenit ad eum. 51. Et respondit illi Jesus: Quid uis, ut faciam tibi? Caecus autem dixit ei: domine rabbi, ut uideam. 52. Jesus autem ait: Uade, fides tua te saluum fecit. Et confestim uidit et sequebatur eum in uiam.

XI. 1. Et cum adpropiaret Hierosolyma et Bethania ad montem Oliueti, misit duos ex discipulis suis, 2. et ait illis: Ite in castellum, quod est contra uos, et introeuntes statim inuenietis pullum asinae ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit, soluite illum et adducite. 3. Et si quis uobis dixerit: quid soluitis pullum, dicite: domino necessarius est, et continuo illum dimittit huc. 4. Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuas foris in transitu, et soluerunt eum. 5. Et qui erant illic foris stantes dixerunt: quid facitis soluentes pullum asinae? 6. Et dixerunt sicut dixerat illis Jesus; 7. et permiserunt illis ducere pullum ad Jesum, et imponunt illi uestimenta, et sedit super eum. 8. Multi autem uestimenta sua sternebant in uiam, alii frondes cedebant de arboribus et sternebant in uia. 9. Et qui praeibant et qui sequebantur, clamabant dicentes: 10. Benedictus qui uenit in nomine domini; Benedictum, quod uenit regnum patris nostri Dauid, Ossanna in altissimis. 11. Et cum introisset Hierosolyma in templo, circumspexit omnia, cum iam uespera esset hora, exiuit in Bethaniam cum XII discipulis suis. 12. Et alia die, cum exisset a Bethania, esuriit. 13. Cumque uidisset a longe arborem ficus habentem folia, uenit uidere, si quid esset in eam; et nihil inuenit, nisi folia tantum (non erat enim tempus ficuum). 14. Qui dixit ei: Jam non amplius in aeternum quisquam fructum ex te manducet. Et audie-

bant discipuli eius. 15. Et uenit iterum Hierosolymam. Et cum ingressus fuisset in templum, coepit eicere inde uendentes et ementes in templo; et mensas nummulariorum et catedras uendentium columbas euertit. 16. Et non sinebat, ut quisquam transferret uas per templum, 17. et docebat dicens, scriptum esse: domus mea domus orationis uocabitur omnibus gentibus. Uos autem fecistis eam speluncam latronum. 18. Quo audito principes sacerdotum et scribae quaerebant, quomodo eum perderent; timebant enim eum, quoniam uniuersa turba admirabatur super doctrina eius. 19. Et cum uespere factum esset, egrediebatur de ciuitate. 20. Et cum transirent mane, uiderunt arborem ficus aridam factam a radicibus. 21. Et recordatus Petrus ait rabbi: ecce arborem ficus, cui maledixisti, aruit. 22. Et respondens Jesus ait illis: Si habueritis fidem dei, 23. amen dico uobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere et mittere in mare, et non aesitauerit in corde suo, sed crediderit, futurum fiet, quodcumque dixerit. 24. Propterea dico uobis: Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et euenient uobis. 25. Et cum statis orantes, dimittite si quid habetis ad aliquem, ut et pater uester, qui est in caelis, dimittat uobis inuicem iniquitatem uestram. 26. Si uos non dimiseritis, nec pater uester, qui est in caelis, dimittet uobis peccata uestra. 27. Et rursus uenit Hierosolymam, et cum in templo ambularet, accesserunt ad eum summi sacerdotes et scribae et seniores. 28. et dixerunt illi: In qua potestate haec facis? et quis tibi dedit hanc potestatem. 29. Jesus autem respondens ait illis: Interrogo uos et ego unum uerbum; respondete mihi, et dicam uobis, in qua potestate haec facio: 30. Baptisma Johannis, de caelo erat, an ex hominibus? respondete mihi. 31. Ad illi cogitabant aduersum se dicentes, quid ei responderent. Si dixerimus: de caelo, dicit nobis: quare non credidistis illi? 32. Si uero dixerimus: ex hominibus, timemus plebem; omnes enim sciebant Johannen uere prophetam fuisse. 33. Et respondentes dixerunt ad Jesum: Nescimus. Et respondens ait illis Jesus: Neque ego dico uobis, in qua potestate haec facio.

XII. 1. Coepit autem illis in parabolis loqui, ita dicens: Uineam pastinauit homo et circumdedit saepem et fodit lacum et aedificauit turrem et tradidit eam colonis et peregre profectus est. 2. Et misit ad colonos in tempore seruum, ut fructum ex uinea darent ei. 3. Et adprehensum eum ceciderunt et dimiserunt uacuum ad eum. 4. Et iterum misit ad illos alium seruum, et illum in capite uulnerauerunt et contumeliis adfecerunt. 5. Et alium misit seruum, et illum occiderunt, et plures alios quosdam ceciderunt quosdam uero occiderunt. 6. Adhuc unum habens filium charissimum dicens: Forsitan filium meum uerebuntur. 7. Coloni autem dixerunt ad inuicem: Hic est haeres; uenite, occidamus... et nostra erit haereditas. 8. Et adprehensum occiderunt extra uineam. 9. Quid ergo faciet dominus uineae, dum uenerit? Ad illi dixerunt ei: Malos male perdet et uineam suam locabit aliis colonis. 10. Nec scripturam hanc legistis: lapidem, quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. 11. A domino factus est et est mirabilis in oculis nostris. 12. Et quaerebant eum tenere et timuerunt turbam; cognouerant enim quoniam de eis parabolam hanc dixisset; qui relicto eo abierunt. 13. Mittunt illi quosdam ex Pharisaeis et Herodianis, ut eum caperent in uerbo. 14. Et illi uenientes, interrogabant eum subdole dicentes: magister, scimus, quoniam uerax es, et non curas quemquam nec enim accipis faciem hominis, sed in ueritatem uiam dei doces. Dic ergo nobis: Si licet dari tributum caesari aut non? 15. Ad Jesus cum uidisset uersutiam illorum, ait illis: Quid me temptatis? adferte mihi denarium, ut uideam. 16. Ad illi adtulerunt. Ait illis: Cuius est figura haec et inscriptio? Dicunt illi: caesaris. 17. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur, quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt dei, deo. Et mirabantur uehementer in responsum eius. 18. Et uenerunt ad eum Sadducaei, qui dicunt, non esse resurrectionem, et interrogabant eum dicentes: 19. Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cuius frater decesserit et habuerit uxorem et filios non reliquerit, ut accipiat frater uxorem eius et rescuscitet semen fratri suo. 20. Fuerunt ergo aput nos septem fratres, et primus accepit uxorem et mortuus est, non relicto semine. 21. Et secundus accepit eam et mortuus est, et non reliquid semen. Et tertius . . . eam . . . 22 . . . uero et mulier defuncta est, 23. In resurrectione . . . erit uxor? septem enim eorum illam habuerunt uxorem. 24. Et respondens Jesus ait illis: Nonne ideo erratis. non intelligentes scripturas, neque uirtutem dei? . . . 25 . . . nubunt neque nubuntur, sed erunt sicut angeli in caelo. 26. De mortuis autem, quod resurgant non legistis in libro Moysi super rubum quomodo dixerit illi: deus Abraham et deus Isac et deus Jacob? 27. Non est deus mortuorum sed uiuorum; uos ergo multum erratis. 28. Et accedens unus de scribis, qui audierat illos conquirentes et uidens, quoniam bene illis responderit, interrogabat eum dicens: Magister, quod est primum praeceptum? 29. Respondens autem Jesus, dixit ad eum: omnium primum: Audi Istrahel, dominus deus noster unus est; 30. et diliges dominum deum tuum ex toto corde

tuo, et ex tota anima tua, et ex totis uiribus tuis, et ex tota uirtute tua. Hoc est primum mandatum. 31. Secundum simile illi: diliges proximum tuum sicut te ipsum. Maius autem horum mandatum non est. 32. Et ait illi scriba: bene dixisti, magister, in ueritatem, quod unus deus, nec est alius praeter illum, 33. ita diligendus ex toto corde et ex totis uiribus, ex et tota anima, et diligere proximum tamquam se ipsum, hoc maius est omnibus quam holocaustomata et sacrificia. 34. Uidens autem Jesus, quod sapienter respondisset, dixit illi: non es longe a regno dei. Et nemo iam audebat eum interrogare quicquam. 35. Et respondens Jesus docens in templo dixit: quomodo dicunt scribae Christum esse filium Dauid? 36. Ipse enim Dauid in spiritu sancto dicit: Dixit dominus domino meo: sede ad dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabillum pedum tuorum. 31. Si ergo Dauid dicit eum dominum, quomodo filius eius est? et multa turba liuenter eum audiebant. 38. Ad ille docens dicebat eis: Uidete ab scribis qui uolunt ambulare in stolis et salutationes in foro, 39. et in primis cathedris sedere in synagogis et primos discubitus in conuiuiis, 40. qui deuorant panem uiduarum et pupillorum sub optentu prolixae orationis; omnes isti accipient prolixius iudicium. 41. Jesus autem sedens contra gaiofylacium, aspiciebat, quantae turbae iactabant aes in gaiofylacium et multi diuites iactabant multa. 42. Cum uenisset autem una uidua, misit aera minuta duo, quod est quadrans; 43. et conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico uobis, quoniam uidua egena haec plus omnibus misit in gaiofylacio munus; 44. nam omnes ex eo, quod abundabat illis, miserunt; haec uero de pecuniis suis omnia quae habuit, misit, id est omnem uictum suum.

XIII. 1. Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis eius: Magister, aspice quales lapides et qualis structura templi. 2. Et respondens, ait illis: nonne uidetis omnia haec magna aedificia? amen dico uobis, quia non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur, et in triduo aliut resuscitetur sine manibus. 3. Et cum sederet in montem Oliueti contra templum, interrogabant eum seorsum Petrus et Jacobus et Johannes et Andreas dicentes: 4. dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, cum haec omnia consummabuntur? 5. Et respondens Jesus coepit dicere illis: Uidete, ne quis uos seducat; 6. Multi enim uenient in nomine meo dicentes: ego Christus, et multos seducent. Cum autem audieritis bella et opiniones bellorum, ne timueritis; oportet enim haec fieri, sed nondum est finis. 8. Exurget autem gens contra gentem, et regnum contra

regnum, et erunt terraemotus per loca et fames initium dolorum — — — — — 19. erunt enim in diebus illis tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturae, ex quo omnia condidit deus usque nunc neque erunt . . . . 20. Et nisi brebiasset dominus dies propter electos suos . . . fieret salua ulla caro, sed propter electos, quos elegit, brebiabuntur dies illi. 21. Et tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic est Christus, uel: ecce illic, ne credideritis. 22. Exurgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa et ostenta ad seducendos homines, si fieri potest, etiam electos. 23. Uos ergo uidete: ecce praedixi uobis omnia. 24 . . . illis diebus post tribulationem. — —

Notae

de aliquot mendis in codice, quae ibi correcta sunt:

Mt. 3, 5 *morabantnr* (memorab.) 3, 10 *faciens* (fatiens); 4, 18 *retia* (retiam); 6, 4. 6 *palam* (pala); 6, 24 *patietur* (pati erum); 7, 17 *malos fructus* (malos fructos); 7, 27 *descendit* (discendit); 8, 13 *uade* (ualde); 8, 32 *impetu* (impetum); 9, 15 *quamdiu* (quandiu); 10, 8 *leprosos* (leprosus); 12, 1 *segetes* (segitis); 12, 28 *adpropiauit* (adpripiauit); 12, 44 *uacantem* (uacentem); 13, 13 *ideo* (ideo non); 15, 5 *corban* (corbam); 16, 2 *nubibus* (nububus); 17, 26 *primus* (cod. pismus); 18, 22 *septuagies* (cod. septuagios); 18, 32 *nequam* (nequa); 20, 15 *nequam* (nequa); 21, 31 *uoluntatem* (uoluntate); 22, 19 *nomisma* (misma); 23, 13 *clauditis* (clyditis); 23, 35 *omnis* (omnes); 23, 38 *relinquetur* (relinquitur); 24, 15 *stantem* (stans); 24, 17 *descendat* (discendat); 24, 31 *tuba* (cod. turba); 25, 5 *moram* (mora); 25, 10 *clausa* (clusa); 25, 40 *meorum* (meum); 26, 2 *tradetur* (traditur); 26, 31 *gregis* (greges); 26, 37 *mestus* (mestuus); 26, 41 *infirma* (infirmis); 26, 65 *blasphemauit* (balphemauit); 27, 58 *petiit* (petit); 27, 60 *ostium* (osteum); ***Joh.*** 1, 38 *manes* (manis); 2, 7 *sursum* (susum); 2, 9 *factam* (factum); 2, 10 *infimiorem* (cod. imriorum); 2, 12 *descendit* (discendit); 3, 5 *ex aqua* (et aqua); 3, 13 *descendit* (discendit); 3, 15 *omnis* (omnes); 3, 29 *gaudet* (gaudit); 3, 31 *sursum* (susum); 4, 35 *menses et messis ... ad messem* (mensis et messit .. a messem); 4, 47 *descenderet* (discenderet); 4, 51 *descendente* (discendente); 5, 7 *descendit aquam* (discendit aqua); 5, 4 *descendebat* (discendebat); 6, 7 *Philippo* (Philippus); 6, 16 *descenderunt* (discenderunt); 6, 36 *panis* (panes); 6, 51 *descendi* (discendi); 6, 59 *descendit* (discendit); 6, 64 *prodest* (prodeest); 8, 34 *omnis* (omnes); 8, 37 *capit* (capet); 9, 7 *perrexit* (perressit); 11, 13 *somni* (somnus); 11, 56 *alius ad*

alium (ad alis alium); 12, 38 *quod* (quem); 13, 22. 35 *alius ad alium* (alis alium); 16, 8 *iudicio* (iuditio); 16, 19 *alius cum alio* (alis alio), 17, 5 *claritate* (claritatem); 17, 8 *exiui* (exierunt); 18, 16 *ostium* (osteum); 18, 28 *ad* Caipham (a Caipham); 19, 7 *quia* (qui); 19, 12 *omnis* (omnes); 19, 36 *ossa* (ossum); 20, 1 *a monumento* (a monumentum); 20, 9 *sciebant* (sciebat); 20, 12. 14 *uidit* (uidet); 20, 19 *ostiis clausis* (osteis clusis); 20, 26 *clausis* (clusis); 21, 6. 11 *rete* (retem); 21, 6. 8 *retia* (retiam); 21, 9 *descenderunt* (discenderunt); 21, 15. 16 *diligis* (diliges); ***Lc.*** 1, 19 *missus* (missum); 1, 27 *ad uirginem Mariam* (ad uirgine Maria); 1, 46 *Maria* (Elisabel); 1, 69 *cornu* (cornum); 1, 74 *de manu* (de manus); 2, 24 *aut duos* (et duos); 2, 30 *salutare* (salutarem); 2, 46 *audientem illos* (aud. illum); 2, 47 *prudentia* (prudentiam); 3, 1 *tetrarcha* (bis. tetracha); *Lysania tetrarcha* (Lysoniae tetrarchae); 3, 2 *principibus* (principe); 3, 3 *Jordanis* (Jordanes); 3, 5 *omnis* (omnes); 3, 6 *salutare* (salutarem); 3, 8 *fructus* (fructos); 3, 22 *descendit* (discendit); 4, 4 *quia* (qui); 4, 6 *uolo* (uoluero); 4, 20 *ministris* (ministros); 4, 25 *clausum* (clusum); 4, 31 *descendit* (discendit); 5, 4 *retia uestra* (retiam uestram); 5, 6 *rumpebantur* (rumpebatur); 5, 12 *ciuitatum* (ciuitatium); 5, 33 *Johannis* (Johannes); 5, 36 *ex ueteri* (et ueteri); 6, 2 *Phariseorum* (ex Phar.); 6, 4 *propositionis* (propositiones); 6, 17 *descendit* (discendit); 6, 19 *omnis* (omnes); 6, 37 *condemnabimini* (condemnamini); 6, 38 *confertam* (confersam); 6, 40 *magistrum* (magistratum); 6, 43 *fructus* (fructos); 6, 48 *similis* (simile); *inundantia* (innundantia); 7, 4 *sollicite* (solicite); 7, 13 *quam* (quem); 7, 25 *deliciis* (delitiis); 7, 31 *generationis* (generationes); 7, 47 *ei* (tibi); 8, 3 *Susanna* (Susannae); 8, 23 *descendit* (discendit); 8, 45 *conprimunt* (conpriment); 9, 7 *consternabatur* (consternebatur); 9, 25 *prodest* (prodeest); 9, 29 *alba* (albus); 9, 54 *descendat* (disc.); 9, 58 *habent* (habeant); 10, 1 *designauit* (dessignauit); 10, 14 *iudicio* (iuditio); 10, 31 *descendebat* (discendebat); 10, 38 *quodam* (quoddam); 11, 5 *abit* (abiit); 11, 7 *ostium* (osteum); 11, 11 *petit* (petet); 11, 13 *bona data* (bonos datos); 11, 34 *nequam* (nequa); 11, 42 *iudicium* (iuditium); 12, 10 *omnis* (omnes); 12, 41 *dicis* (dicens); 13, 11 *sursum* (susum); 13, 15 *hypocrita* (hypocrite); 13, 17 *omnis* (omnes); 13, 25 *clauserit* (cluserit); 15, 1 *adpliciti* (adpleciti); 16, 10 *iniquus* (inicus, bis); 17, 4 *paenitet me* (paeniteor); 17, 18 *ageret* (agaret); 18, 14 *descendit* (discendit); 18, 22 *quo* (quod); 21, 37 inter *diem* (inter die); 22, 25 *beneficiorum* (benefitiorum); 22, 35 *sacculo et pera* (sacellum et peram); 22, 36 *sacculum* (sacellum); 23, 4 *hoc homine* (hoc hominem); 24

REV15

20 *omnis* (omnes); ***Mc.*** 1, 16 *retia* (retiam); 1, 19 *retia* (retias); 1, 44 *offer* (offers); 2, 13 *omnisque* (omnesque); 2, 16 *ut* uiderunt (et vid.); 2, 26 *propositionis* (propositiones); 3, 22 *descenderant* (disc.); 4, 3 *seminator seminare* (semenator semenare); 4, 14 *negligenter* (negleg.); 4, 32 *possint* (possit); 5, 5 *collidens* (colidens); 5, 17 *ut* (ut non); 5, 18 *ascendente eo* (ascend. eum); 6. 14 *operantur* (operatur); 6, 38 *quot* (quod); 6, 52 *de panibus* (in pan.); 9, 19 *spumans* (ispumans); 9, 24 *spiritus* (spirite); 10, 33 *morti* (morte); 12, 16 *figura* (figula); 12, 19 *ut accipiet* (et accip.); 12, 39 *discubitus* (discubitos); 12, 44 *pecuniis suis* (pecunia sua); 13, 8 *terraemotus* (terraemota).

SEMINÁRNÍ KNIHOVNA
Hist.-práv. oddělení
PRÁVNICKÁ FAKULTA MASARYKOVY UNIVERSITY

ÚK PrF MU Brno
3129S03267